mas expiantur. Alia verò nullis ſuffimentis, abſque oleo ab eodem procurantur. Quid ita? quia non parùm intereſt, ex animo quid, & de induſtria pecces: an errore, & inſcitia. Quare cùm peccatur conſultò, ſcelus fit deteſtabile: nullis ſuffimentis procurandum: neque oleo expiandum. Quòd modi iſtius ſceleris odor deo primũ ipſi exiſtat teterrimus: deinde quòd enecat conſcientiam peccantis, dignum non eſt: quod oleo læticiæ hylaretur. At illa quæ errore, & inſcitia fiunt: thure, atque oleo expiabat Moſes. Nam hęc licèt ſint flagicia & ipſa, non tamen ſunt eiuſmodi, quæ Deum à peccante funditùs alienent: & quæ ipſum delinquẽtem deſperatione frangant.

Ad hoc peccatorum diſcrimen, tanquam ad normam certam, peccatum meum à me exigatis velim: quin immò, ex hac corona doctiſſimorum virorum, qui vos circumſtant, prodeat

at in medium qui vult: ac mecum, vobis diſceptatoribus, de meo peccato agat hoc in loco familiariter. Si enim quis horum à me quærat, num vxorẽ ſacerdos duxerim? duxiſſe me fatebor. peccaſti igitur? peccaui. pœnas ergo peccati debes? debui, & perſolui: factúmque hoc meum thure, atq; oleo expiaui. quid ita? quia Matrimonium, & ſacerdotium vt ſacramenta ſunt: ita paria eſſe credidi. Nec minus ex alterutro, in alterum commeatum eundi, & redeundi dari, quàm ex Athenis, verbi gratia, Thebas: & Thebis, Athenas itus, ac reditus datur. Et quoniam hoc prauo ſenſu confunduntur ſacramenta, vt alio loco apparebit: ideo hic flagitioſus error, plenus inſcitia, & ignorantia, notatione atque animaduerſione cenſoria dignus fuit. Cui tamẽ nihilominus expiatio thuris, atque olei, hoc eſt, miſericordiæ, atque læticiæ deberentur ſigna. neque enim à ſuperbia, atq; ar-

7.000,–

STANISLAI ORICHOVII, GENTE ROXOLANI, NATIONE VERÒ POLONI,

FIDEI CATHOLICÆ CONFESSIO.

Petricouiæ, in Synodo: præsidente Reuerendissimo in CHRISTO Patre, Domino Nicolao Dirgouio Gneznensi Archiepiscopo: Legato nato, ac regni Poloniæ Primate: purè, simpliciter, atque sine conditione edita. Anno Domini, 1552. XVI. Mensis Februar. ANNO Dñi. 1561. in Synodo VVarszauiensi confirmata, ac in lucem data.

COLONIÆ,
Apud hæredes Arnoldi Birckmanni.
M. D. LXIII.

REVERENDO PATRI DOMINO ANDREAE PRZECZLAVVSKI, DECAno Poſnanienſi, Scholaſtico Cracrouienſi: Mecœnati ſuo, optimè de ſe merenti, Iacobus Gorski, S. P. D.

COnfeſsiõem STANISLAI ORICHOVII Rutheni, doctiſsimi ac Catholici viri, vt R.P. tua voluit: iudicio & examini doctorum ſubieci, quam illi & legerunt: & piam, ſynceram, ac Catholicam eſſe pronunciârunt: vtq́ue quamprimum in publicũ daretur, voluerunt: quòd viderent magnum fructum hominibus pijs: ſua lectiõe eam allaturam eſſe. Qua quidẽ in Confeſſione non ſolùm pectus pium, veræq́; Catholicum laudẽ meretur: ſed etiam ars ipſa, quæ res magnas & graues, de

quibus multi prolixa volumina reliquerunt, miro compendio ac paucitate verborum complectatur: singulisque sententijs singula præcepta vitæ ac institutionis Christianæ cōprehendat.

Cuius lectione ne diutius Christianus lector fraudaretur: curauimus, vt in lucē q̃primùm prodiret. Cui festinationi nostræ, bonitas Lazari, & docti, & in libris edēdis diligētissimi, studiosiq; Reip. & literarię & Christianę iuuandę, Calcographi, non defuit. nā librū à nobis oblatum, nō tam sui cōmodi, quàm vtilitatis publicæ causa, libenter suscepit. Quod quidē opus R.P. tuæ, cui per Auctorē ipsum dedicatum est, nūc mittimus: quos vnà cum Orichouio, vt tua bonitate complectaris, rogamus. Cui nos omnia fausta precamur. Datum Cracouiæ è Collegio Maiori, pridie Calen. Septembris, Anno Dn̄i M. D. LXI.

IN

IN ARMA REVERENDI DOMINI ANDREÆ PRZECZLAVVSKI, Decani Posnaniē. & Scholastici, atq; Vicarij in Spiritualibus, Cracouieñ. Ecclesiarũ, Albertus Vedrogouius.



Piscibus amnigenis, semper laus digna dabatur:
Si salubres sapiant, si noceantq; nihil.
CARPIO *laudatur, Benaco flumine captus:*
Sat sapidum & salubrem, Vistula crede parit.
Quid censes? quantus fuerit, qui nobile stemma
In regno peperit? CARPIO *magnus erat.*
Hunc igitur fert, uir clarus Preczlauius, omni
Commodus, & patriæ spesq; decusq; suæ.
Hic propria, magnos sibi conciliauit honores,
Virtute, & factis, cuncta merendo, bonis.

IN IDEM STEMMA.

MATTH. PLOCEN.

Carpio tuta petit loca, nec citò tollitur inde:
Est nimium nitidæ, summus amator aquæ.
Sic omnes nitidi, iusti sunt, stemmatis eius:
Quos à recto aliò, ducere nemo potest.

IDEM.

Cui pisces curæ fuerant, hic Apostolus olim
Christi erat, intrepidè munus obire solens.
Nec minùs intrepidè munus Preczlauius implet:
Ad quod Saluator, ritè uocauit eum.

SEBEST. FELSTINEN.

Est decus ac lumen sacris Preczlauius aris:
Quem tenet Aonidum, & relligionis amor.
Quare cui mittas Orichoui docte libellum,
Scis: equidem tali munere dignus erat.
Viuat in immensum felix Preczlauius æuum:
Illustretq; suo lumine templa Dei.

Idem ad hæreticos, de S. Orichouio.

Quid dubitatis adhuc, utris Orichouius acer,
Hæretici, accedat: quid dubitatis adhuc?
Non uestras probat hic lites, nec dogmata uafra:
Sed ueteri Christum relligione colit.
Vos igitur pudeat: magnum amisistis Achillem:
Sub nostris signis militat armipotens.
Est noster totus: uester iam desijt esse,
Reuerà uester si modò quando fuit.
Quòd si quis non firma putet, quæ scripserat antè:
En Confeßio: in hac, quàm benè credat, habes.

S. O. R.

Andreæ Preczlauio, Decano Poznanienſis, & Scholaſtico atq; Vicario in Spiritualibus, Cracouienſis Eccleſiarum.

S. P. D.

Nihil eſt, Andrea Preczlaui, quod in hac mortali, caducaq́; uita æquè uelim: quàm me ab iſtis Heluetijs, aduentitijsq́; doctrinis alieniſsimum uideri: cùm alijs, tũ uerò tibi in primis: qui Cracouiæ, in principe Poloniæ urbe, muneris Pontificij Vicarius es, & Catholicæ religionis patronus, ac uindex hæreticæ prauitatis: aduerſus ſeruos fugitiuos iſtos, qui ſedibus, ciuitatibusq́; ſuis pulſi, obrepſerũt etiam ad nos: ut eiuſdem prauitatis erroribus mentes noſtras imbuant: quibus regiones circumcirca infecerunt. Anné potuit maior peſtis, ex Heluetia in Poloniam importari? quàm à Franciſco Liſmanino, & à Petro Statorio importata eſt? qui dum ab omni æternitate Chriſtum Mediatorem atque Sacerdotem faciunt, quid aliud ſibi uolunt? quàm ut ne Chriſtus Deus, par ſit apud nos ſuo Patri? Si enim is offerebat, ſi ſupplicabat, ſi

ſequeſter, ſi deprecator erat priùs, quàm de noſtro aliquid offerendum pro nobis accepiſſet: quis negauerit, hoc ſtatu, atq; habitu Chriſtum natura ipſa ſua diuina, quam ſolam offerebat, longè inferiorem eſſe Patre? At hoc Arrianum commentum, refellit illis uerbis apud paſtores Angelus: Annuntio uobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt uobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid. Non priùs ergo Chriſtus & Saluator & Mediator fuit; quàm in ciuitate Dauid naſceretur. Et ut incepit, ita deſinet eſſe Saluator atq; Mediator, tum cùm tradiderit regnum Deo Patri ſuo: quo in regno ille non iam Sacerdos, neq; Saluator, neq; Mediator, ſed Rex erit regnans in domo Iacob in æternum: cuius regni nullus erit finis. Nam quod urgent uenefici iſti illud: Tu es Sacerdos in æternum: ea uerba ad continuationem, ſeriẽq; temporum, nõ autem ad illam infinitatem, quæ extremitatibus caret, referenda ſunt. nunquam enim ad ſupremum uſq; mundi diem: Chriſtus in Eccleſia ſua, Sacerdos eſſe deſinet. Sed iſti abeant cũ ſuo Mediatore in malam crucem, malumq; cruciatũ: cui nos noſtrum uerum Mediatorem opponamus, & in illo acquieſcamus: qui non antè, quàm incarnatus atque natus eſt, Dei & hominum extitit Mediator. Quid altera illa Poloniæ labes Franciſcus Stancarus, quid affert nobis ad communem peſtem & ipſe: Huma-

nita-

nitate (inquit) sola Mediator Christus est. Sed heus tu, ô scelerate, quid tandem ualebunt illæ ueridicæ uoces, ex occulto ipsius, Ecclesiæ missæ? Humanitas absque diuinitate non est mediatrix: Diuinitas absque humanitate non est mediatrix. Quin tu ipse, ô Christe Domine, Spiritu oris tui interfice hunc impium: atq; adeò ore tuo ueridico dic, quem te à nobis credi, atq; perhiberi uis? Ego sum (ait Christus) uia, ueritas, & uita. Dic quæso, Christe planius, atque hoc, cuiusmodi sit, explana. Cur uia es? quia homo sum. Cur ueritas & uita? quia Deus sum, in humanitate mea uiatori patet uia: in diuinitate uerò propositus est illi finis, qui finis ueritas ac uita est: ut per humanitatem, tanquam per uiam ad diuinitatẽ, quæ ueritas & uita est, ex potestate Sathanæ uiator traducatur: atque in hoc fine postremum conquiescat. qui finis non extrinsecus Christo accidit, neq; extra humanitatem illius est, ut tu Stancare mentiris: sed intestinus in hac eadem uia inhæret, ut Ecclesia Catholica credit, & docet. Ergo Stancare cum tua peste atq; pernicie, uel ultra Caucasum, atq; glacialẽ Oceanum (si lubet) hinc proficiscere: nos istum Mediatorẽ, quẽ nobis obtrudis, facilè remittimus tibi. nos enim eum Mediatorem ueneramur: qui diuina atq; humana necessariò cõstat natura, ut humanitas eius, uia sit nobis in naturam ipsius diuinã: & ut in huius Mediatoris humana natura, iustitia Dei appa

ret: ita in diuina natura eiusdem potentia eluceat necesse est. Sed nos quasi æstus quidam, à proposito abripuit, iustus dolor: quē ex temeritate, & impunitate sempiterna horũ latronũ capimus: qui in Poloniam, quasi in desertã aliquã solitudinē cùm inuasissent: religiones, mores, atq; leges nostras patrias, mutant, euellunt, delent: & quod dicitur, quadrata permutant rotundis arbitratu suo: quodq; cõcedi in Polonia ius non est ne patricijs quidem uiris, id nos (proh dolor) concessimus seruis fugitiuis istis: ut qui iam collũ in laqueũ apud suos ciues inserebant, ij Canones reformatorios nobis cõscribant, Remp. emendent, atq; religiones nostras patrias atq; auitas corrigant. Sed facessant querelæ, quibus nihil proficimus: & quibus præsentem uitæ statũ frustrà deplorare solemus. Ad te mœstus redeo, Andrea Preczlaui, cupio sanè (ut dicere instituerам) abs te & ab amplissimi sacerdotij tui collegio, hostis eorũ omnium, qui dissidēt à uobis, iudicari. Hoc enim amplissimum mihi esse duco: pro ea fide, quã Adalbertus Gneznæ: Stanislaus uerò Cracouiæ, diuini uiri, uobis tuendam reliquerunt: cum hæreticis usque ad sanguinem dimicare. quod me uelle, & in ea inductione animi atque uoluntate esse, testantur scripta, actiones item atq; disputationes nostræ: quæ à mea gratia multos auerterunt, cum detrimēto nõ paruo cõmodorũ uitæ degendæ. sed ego lucra esse duco ma

xima,

xima, pro ueritate hæc cõmoda floccipendere, magnoq; animo, omnibus cõmodis posthabitis, hos agitare atque aßiduè insectari: qui præstigijs mentes nostras ceperunt, atq; ueneficijs infatuarunt istos Liberos Barones nostros, nescio à qua parte Reip. nostræ profectos: qui dum se liberos esse gloriantur, improbißimarũ Sectarũ facti sunt serui. Quorum gratia, uide quàm me deprauauerit, & q̃ tardiorem me ad propugnandam Catholicam fidẽ fecerit. Confeßionẽ enim eius fidei edo, atq; tibi trado: quã nisi quisq; fideliter, firmiterq́; crediderit, saluus esse nõ poterit: in qua, tanq̃ in fronte mea sit inscriptũ, quid ego de ecclesia Catholica sentiam, & quam fidem sequar. Fremant ergo licèt Arriani, atque Nestoriani impij, atq; sacrilegi isti, huc ad nos è media Heluetia mẽtitũ, furatum, raptũq; profecti: dum modò intelligãt, Dei beneficio, non deesse Sarmatis cõtra illorũ latrociniũ, atq; immanẽ perfidiã, sua præsidia: habereq; Poloniam Catholicum Regẽ, pium Senatum, fortißimum Archiepiscopum, ac summa doctrina, pietateq; præditos Episcopos: tum Collegia amplißima uestra, doctis, atque nobilibus uiris referta. Denique in Equestri ordine, non deesse uiros militares strenuos: & eosdem ad propugnandũ pro Ecclesia Dei, optimarũ artiũ disciplinis ornatos, atq; instructos: ut præ hac uniuersitate generis, ac nominis Polonici, hæc lues Heluetia impura

impura, uix minimi momẽti instar habere uideatur.

Cæterùm, quòd hanc Confeßionem in tuo nomine edi uolui, duæ sunt causæ. Vna est, ut cùm tu pro auctoritate muneris, atq; officij tui Cracouiæ continenter cum Hæreticis bellum geras: habeas quasi figuram, atq; habitum in promptu eius fidei, quã maiores nostri, tanquam depositum quoddam, cõmendarunt nobis, ad omnẽ posteritatẽ in Polonia trãsmittendam: ut aliquando istos ex imagine paternæ fidei pudeat, à maiorum religione desciuisse. Altera causa est, cùm tu in Barancianum meum, remotũ in Roxolania, atq; horridum rus, salutãdi causa ad me uenisses: fas non erat, absq; hoc xeniolo te hospitem uacuũ Cracouiã à me discedere. Huc etiã accedebat lætitia ingens, quam ex amplificato honore clarißimi uiri Ioannis Ociescij regni Poloniæ Cancellarij, te nuncio accepimus: cui tu Regio nomine, Samboriensem præfecturam illustrem, uicinam nobis, nuper attribuisti. Cumq; non tantùm homines, uerùm etiam agri propemodum, atque campi, syluis atque segetibus obsiti, illius summi uiri honoribus lætarẽtur: nos immunes uideri, in tanto omnium gaudio, minimè decere uidebatur. Itaq; hæc ipsa εὐαγγέλια, cùm aliud nihil neq; maius, neq; melius, neq; te dignius poßumus: dare tibi uolumus. Vale, nostri memor, quæcunq; te habuerint terræ à nobis dißitum. Datum in Baranczyce: 15. Mensis Iunij. An. 1561.

STA.

STANISLAI Orichouij, Gente Roxolani, natione verò Poloni: fidei Catholicæ Confeſsio.

REuerendiſſime Domine, vosq́ue cæteri Patres ampliſſimi, audite me: atque ex ore meo, non autem ex delatione aliena, iudicate me: confitentem eam fidem, ſine qua, impoſſibile eſt placere Deo: quam qui deſerit: non poteſt iterum, teſte Paulo, renouari ad pœnitentiam. Quæ fides, eſt illa terribilis caſtrorũ acies ordinata: aduerſus quam non præualẽt inferorum portę. Quæ fides, inquam, tanquam ſignum ad ſagittam, eſt propoſita: quo Sathã, à primo generis humani exortu, aſſiduè iaculãs, collimet: nunquam tamẽ illam attingat: nunq̃ pro-

propoſitum ſuum aſſequatur: Quod ipſi illud eſt ſummum, ne glorificetur Pater in filio: neúe cognoſcamus verum Deum, & quem ille miſit, Ieſum Chriſtum: vt hoc credentes, vitã æternam habeamus in nomine eius. Hanc talem fidem Sathan, in parentibus noſtris, illis primis, perfidia violabat: hãc eandem diluuio obruebat: poſteaque Aegyptiaca ſeruitute vexabat: tum varijs caſibus, deſertæ ſolitudinis, extinguebat: denique, captiuitate Babylonica, loco ſuo pellebat: poſtremò, morte ipſius Chriſti, atque tot martyrum internitione, de medio tollebat.

Quam etiam, cùm illam vi, impetuq; eruere non poſſet: dolo, atque fraude adortus, tot, ac tantis, longè, lateq;, hęreticorum erroribus diffuſis, affligebat, atq; delebat. Excitabat enim initio Hebionem, contra Trinitatis eſſentiam: Arrium, contra Chriſti diuinitatem: Manichæum, cõtra eiuſdem humanitatem: Macedonium, contra

Chriſti

Christi Spiritum: Eutichetem,contra veritatem in Christo humanæ carnis: Nestorium verò, contra incarnatum verbum. Mitto alios ministros, atque satellites Sathanæ: per quos ille, radicitùs euellere, atq; exterminare ex animis hominum, veram illam, atq; salutarem fidem, est conatus. Sed cùm illi in capite ipso nihil prodessent doli: in eius capitis corpus, quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentũ veritatis: fures illos, atque latrones suos, Aerium, Viclephum, Husium, Luterum, Zuinglium, Caluinum, Brenciũ, atq; Stancarum (prętereo alios infinitos) immisit: vt per hos corpus hoc Christi, mirificè aptatum, ac descriptum, compositumq;, & compactum, atq; coagmentatũ, omni errore diuelleret, atq; distraheret, diriperetq; funditus. vt in hoc corpore, effusis errorum tenebris, non purum verbum luceret nobis: non sacramentis gratia Dei mẽtibus nostris influeret: nõ sta-

tis

tis ſacrificijs peccata expiarentur noſtra: non, denique, obedientia, obſeruantiaque ſuperioris poteſtatis inter nos reſtaret vlla: vt ita cœci, ingrati, ſceleſti, exleges, atq; vagi, impiã viueremus vitam: fide, ſpe, atque charitate caſſam: itaque Deo odioſam. Atqui, ab hac damnata vita, vt me alienum eſſe, & præſens, & ſequens generatio cognoſcat: exponã breui, in hoc ſacro cœtu, coram vobis: eam fidem, quam ego ex libris ſcriptam non didici: ſed quã à maioribus meis, per manus traditam accepi: & quam etiã ex vberibꝰ matris meæ cum lacte expreſſi: atque hauſi: quam puer colui: et cum qua vir adoleui: & in qua etiam, in hoc ætatis meæ flexu, mori ſtatui. Quã, dum vobis pura oratione, ſine omni verborũ fuco: planè, & abſque conditione expono: oro, obteſtorq; vt me benignè, attenteque audiatis.

CONFITEOR itaq;, ante omnia, me natum, ſuſceptum, ac Deo dicatũ eſſe

in

in ea Ecclesia, quæ Catholica dicitur: id autem est, quæ est vbiq; : & quæ ab ortu solis, vsque ad occasum, more, rituq; vario, laudat nomẽ Domini: quæ nihil aliud est, quàm homines ipsi, vna fide, vno Baptismo, in vno Deo collecti, ex omnibus gentibus, & linguis.

Talis Ecclesia, pręfigurata fuit per Noë arcam: quæ, super omnes diluuij fluctus, eminebat sola: in qua animalia fuerunt munda, & immunda: hoc est, homines boni, & mali. Hæc eadẽ etiam promissa fuit Abrahæ, stellarum multitudini ęquiparãda: vt enim quoquo versus cælum aspicias, stellas videas: sic etiam, quamcunq; in partem orbis te contuleris: homines inuenias, qui ciues sanctorum, & domestici sunt dei. Atqui hæc est illa Hierusalẽ, quam Zacharias Propheta, absq; muris habitatam iri tacitò antè prædixerat: præ multitudine hominum, id est, Iudæorum: & iumentorũ, id est, gentium in ea. vt enim Hierusalẽ illa muro clau-

ro claudebatur: ſic Eccleſia Catholica, præ multitudine hominum, clauditur cælo: & ipſo ortu, occaſu, meridie, atq; ſeptentrione terminatur: bonos iuxtà ac malos continens. Quod ſanè Dominus noſter, ſagena miſſa in mari, deſignauit: in qua piſces erãt cuiuſque generis, tam boni, quã mali. Quã ſanè Eccleſiã, ita in Pſalmo deſcribit, ac definit, Dauid: Reminiſcẽtur, & cõuertentur ad dominum vniuerſi fines terræ: & adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium.

Huic Eccleſiæ opponitur Hæreſis: & quoniã id, quod vniuerſali aduerſatur, particulare dicitur: ideo, ſi Eccleſia eſt vniuerſalis: Hæreſis certè quidẽ omnis erit particularis: hoc eſt, erit in parte aliqua: nõ aũt erit vbiq;. vt, verbi gratia: Arriana hæreſis, apud ſolos Machometanos manet: Donati, apud ſolos Afros: Luteri, apud ſolos Vittenbergẽ, aut ſi qui præterea diſperſi in nonnullis partibus Eccleſiæ, veluti ſpi

næ inter roſas deliteſcũt. Eã igitur Eccleſiã ego probo, & in ea viuo: quæ vbiq; eſt: quæ totum mũdum poſſidet: & in qua Chriſtus dominatur, à mari vſq; ad mare: omne aũt id, quod in ali qua parte eſt: & quod cũ hac Eccleſia pugnat: dãno, & repudio: atq; hęreſim appello: vocoq́; eſſe Anathema: ſiue homo, ſiue Angelus auctor illius ſit.

In hac Eccleſia Catholica, profiteor eſſe miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei: non ab homine, ſed ab ipſo Dei filio, Eccleſiæ datos: in opus miniſterij, ad conſummationem ſanctorum: inter quos, alij ſunt Apoſtoli, alij Prophetæ: alij autem Euangeliſtæ: alij autem Paſtores, ac Doctores. Quorum ordines, cùm à Chriſto, ſpirituali Sacerdote, atq; Rege, in Eccleſia ſint inſtituti: cõdemno eos, qui dicunt Politicè, hoc eſt, voluntate humana, ordinem miniſtrorum eſſe in Eccleſia inſtitutũ. Vt enim nõ Solon, neq; Draco, neq; Ly-

curgus, homines ſeculares, cõdiderũt Eccleſiam: ſed Chriſtus Deus & Dominus noſter: ſic neq; ſecularis, neque Politica diſpoſitio ordinũ, in Eccleſia Dei eſt: ſed diuina, quæ fundata eſt à Dño Ieſu, vero Deo, & Dño noſtro, illis verbis: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, &c. His verbis adductꝰ, credo inter miniſtros Eccleſiæ eſſe ordinem Hierarchicum: hoc eſt, ordinẽ illum, qui ad cæleſtis regni exemplũ, ſtatum militãtis Eccleſiæ, in terris ita contineat: vt triumphantem Eccleſiã, cæleſtis ordo continet. Quo in ordine, Deus princeps eſt: cuius vi, nutuque, viſibiliter cæleſtia illa reguntur. Ad quam formam Eccleſia militans inſtituta, habet caput ſuum viſibile ſacrum: vnde omnis illius ordo deriuatur, à priore ad poſteriꝰ: à capite Chriſto manãs, per miniſtros viſibiles: per quos ſalutem noſtram Deus, inuiſibiliter in terris operatur. vt igitur Eccleſia triumphans, ita & militans ſimili ordi-

ordine prioris ac posterioris continetur. Quem ordinem, ita ciuitatibus, atque regionibus, prouincijsq́;, descriptum intelligo; vt illius descriptiõem, Nicœna prius, deinde Chalcedonensis Synodus, pro veteri more, descripsit.

Cõfiteor, inter hos ministros, Principem: id autem est, priorem, siue primum, non dominum, sed ministrum esse, Petrum: non illum Galilæum Simonem, qui perfunctus Petri munere, iam olim decessit: Sed Petrum, hoc est, hominem: qui hoc nomine, pro auctoritate muneris, & officij, à Christo in Ecclesia inũituti, ad salutẽ ouium Christi, vtitur: qui nunquam moritur, sed semper successiõe viuit: estq; in Ecclesia, fuit, eritq́;, vsq; ad consummationem seculi. Cui Analogicè, hoc est, per prius, & per posterius, cum socijs promisit Christus Claues regni cælorum, hoc est, administrationem Ecclesiæ suæ, illis verbis: Tibi dabo

claues. Cui etiam post resurrectiōem promissas tradidit: dicēs: Pasce agnos meos. Quicunque igitur agnus Christi est, pascitur à Petro: siue is fuerit Apostolus, siue Propheta, siue Euangelista, siue pastor, ac Doctor. Denique sacer ille plebsúe sit, pascatur à Petro necesse est. Credo itaq; cæteros omnes sanctos, in Ecclesia Catholica agnos Christi esse: solum autem Petrum pastorem esse omnium: Cuius pastoratus nihil aliud est, quàm cura diligens: vt in ouili Christi, ordine alij doceant, alij autem doceantur: vtrique autem Euangelij præscripto viuant. Ad hoc enim accepit à Christo Iesu gratiam & Apostolatum Petrus: vt obediatur fidei, in omnibus gentibus, pro nomine eius: & non propter rem vllam aliam.

Hunc Petrum à primo Ecclesię exortu, inferorum oppugnant portę: tamen non præualent, neq; prępualebūt: fundatus enim est supra petrā, Christum

ſtum Ieſum. Homines em̃ ſuperbi, & diſſoluti, cùm paſtorali Petri imperio offenduntur: vt venti Aeolum, ſic iſti non ferunt Petrum: nam illos Petrus vinclis, hoc eſt, Euangelio frenat: ac carcere, hoc eſt, certa iuriſdictiõe, domat: Habet enim hoc Petrus, vt & doceat, & coherceat. Igitur, confiteor, Petrum priorem eſſe Miniſtrũ, in Eccleſia Dei: tam ratione ordinis, quàm ratione iuriſdictionis: vt is, & doceat, & inſtituat: ac iudicet reliquos om̃es agnos, recto ad Euangelium incedens pede: cui ſententiæ aduerſari, dico eſſe anathema.

Credo, confiteor, & nullo modo dubito, hunc Petrum Romæ viuere: eiusq; ſedem ibi, nutu diuino, non autem à Focate Imperatore, aut ab vllo alio quouis homine potente, aut calli do, collocari: in eoq; ſcio me non falli teſtimonio, vtiq; ipſiꝰ Eccleſię vniuerſæ: quæ cùm ſciret, ſibi paſtorẽ à Dño

 datum

datum esse Petrum: eum in omnium seculorũ memoria, nusquã alibi gentium, quàm Romæ requisiuit. Huius itaque Ecclesię vniuersalis testimonium secutus, damno eos: qui dicũt ita Engubij Petrum esse, vt est Romæ: dicoq́;, attestante mihi vniuersa Ecclesia Catholica, Engubij Petrum non esse: sed ouem Petri: quam in partem solicitudinis suæ, vocauit Petrus. Hũc Petrũ, omnis vetustas appellauit Papam: id autẽ est, Patrem Patrũ: cùm enim quatuor sint vniuersales pari cũ potestate Patriarchæ, quasi principaliores Patres: à quibus ordinati proficiscũtur Archiepiscopi, deinde Epicopi, postremò Parochi: tamen solus Petrus, vocatur Papa proprio modo: quòd reliqui omnes, etsi Patriarchatu ipso sint pares cũ illo: tamẽ Pastoratu ipso ab illo differunt: illique primas in Pastoratus munere concedũt. Quamobrem damno eos, qui dicunt istos pares esse Pastoratu Patres, neq;

quicquam inter illos interesse: cõfundunt enim ordinem in Ecclesia à Deo institutum, ac Deo aduersantur ipsi; qui dedit in Ecclesia, alios quidẽ Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores: quibus tamen omnibus, pastorem Petrum prępositum esse voluit. qui hunc ministrorum ordinem cõfundit, aut illi aduersatur: Dei ordinationem confundit, & illi aduersatur. Credo etiam, ac confiteor, nullum omninò legitimum Archiepiscopum haberi: nisi, aut per communicationem sacri Pallij, aut per dextras societatis, aut per aliud modi istius Symbolum, fidei, atq; pacis Episcopalis, & charitatis mutuæ, à suo Patriarcha, cuiq; Archiepiscopo communicati. Nego etiam Episcopos eos esse, qui à legitimis Archiepiscopis non sunt cõsecrati: Presbyteros etiam non esse affirmo eos, quibus Episcopalis manus, legitimè non est imposita: & qui au-

missi ad dispensatioñe Ecclesiasticam ab Episcopis non sunt: aut ab Episcopis iurè, ac meritò, depositi sunt. Dãno ergo omnes eos, ac pseudopresbyteros, ac pseudoepiscopos appello: qui aut nõ sunt missi ab ordinaria potestate, quã clauibus Dominus commendauit Petro: aut legitimè depositi, se ingerunt in procurationes Ecclesiasticas: dicoq́; omnes tales esse fures, & latrones, quòd illis ostiari9 Petrus, ostium Ecclesiæ, claue vtiq; sibi à Domino concredita, non aperuit: sed ingressi sunt in Ecclesiam aliundè, vt furentur & mactent.

Firmiter credo, & nullatenus dubito, quemlibet fidelem, vni alicui, harum quatuor sedium Patriarchalium subijci oportere: aut Romanæ, aut Constantinopolitanę, aut Alexandrinæ, aut Antiochenæ: nulliq́; Sedi harum quatuor subesse, dico hæresim esse: atq; Anathema voco.

Firmiter credo, & nullatenus dubito,

to, malis moribus miniſtrorum Eccleſiæ, & peccatis, ſceleribusq́; illorũ, vim & auctoritatem miniſterij ipſorũ, non minui: ſed ita, verbi gratia, Iudam Iſcariotem, vt Iacobum iuſtum, miniſtrare in Eccleſia Dei: vt inter perſonas miniſtrorum, multum differat: inter miniſteria verò ipſorũ, nihil omninò differat: vt enim vinum, æquè per auream, vt per fictilem fluit cannam: ſic, ſalutaris ſacramentorum vis, ęquè per bonum, vt per malum miniſtrũ, profluit, ad hominum ſalutem.

CONCLVSIO.

Igitur, his ego miniſtris Eccleſiæ, in hunc modum, per prius, & per poſterius, in Eccleſia Dei, à Domino Ieſu diſpoſitis, ſubiectum me eſſe profiteor, tãquam præpoſitis; qui ita pro me vigilare debent, vt rationem reddituri. Horum etiam poteſtatem ligandi, atq; ſoluendi, agnoſco: Cẽſuras illorum, tum excommunicationes, & iudicia, ſiue illa iuſta ſint, ſiue iniuſta metuo:

metuo: vt in illis metuam eum, cuius illi ministri, ac dispēsatores sunt: Christum Iesum, Dominum meum: cui rationes reddēt olim præpositi mei, qua ratiõe illi iudicauerint aut ligauerint me: qua culpa, quóve cõmerito meo. Atqui hæc ita, vt cõfiteor, etiã coram Deo, cui omne cor patet: credo.

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

DIxi de Ministris Ecclesię, nunc dicam de illorum ministerio: nam duabus rebus Ecclesia Catholica insignis est: nempe ministro, & ministerio ipso: de vno iam professus sum, de altero coram vestra Reuerendissima P. in hoc sacro cœtu, nũc profitebor. Dico itaq; ministerium omne Ecclesiasticum, positum esse in duobus: nẽpe, in vera Christi doctrina, & in legitimo Sacramentorum vsu. doctrinam duabus rebus contineri dico: Scripturis Canonicis, & ipsius Ecclesiæ traditioni-

tiōibus antiquis. Quare, eiuſdem au-
ctoritatis, atque veritatis de doctrina
Christi dico eſſe: id, quod in libris Ca
nonicis continetur: cum eo, quod in
traditionibus eſt poſitum. Dico itaq;,
quod apud omnes Christianas gentes
peræquè traditione cuſtoditur, eiuſ-
dem rationis eſſe cum eo, quod libris
Biblicis continetur: Vt enim illa veri-
tas ſcripta in tabulis, puta lapideis: ſic
iſta traditio, in tabulis cordis carnali-
bus, digito Dei deſcripta eſt. cui aduer
ſari, æquè, vt Euangelio ſcripto: hęre-
ſis, atq; ſcelus eſt immaniſsimum.

Confiteor etiam, doctrinam Chri-
ſti deſcriptam, tam in tabulis librorū,
quàm in cordibus fidelium (vti iam di
xi) me non aliter intelligere: quàm il-
lam intelligit vniuerſa eccleſia Catho
lica: hoc eſt, omnis Christianorum na
tio, toto terrarum orbe diffuſa: à cu-
ius Eccleſiæ ſenſu qui aberrant, aut
qui ſuas ſententias illi aduerſas pręfe-
runt, dico eſſe damnatos, ac damnan-
dos

dos hæreticos: quorũ superbia ascendit semper, vt altum sapiant, neq; humilibus consentiant.

DE SACRAMENTIS.

Credo, & firmiter teneo, Sacraméta in Ecclesia esse nihil aliud: quàm medicinã quandã, ex sinu Dei Patris depromptam: & ad nos infirmos homines sanandos à Domino Iesu cælitùs deportatam. vt Sacramentis Ecclesiæ sanemur: & donis per hæc cælestibus imbuamur: ac his reddamur certi, de gratuita illa gratia Dei erga nos, quã docet nos doctrina Christi. Quibus sanè Sacramentis, eos, qui addũt, aut demũt aliquid, hæreticos esse impudentissimos, & intemperãtissimos, conuincit Catholica fides.

Credo, & firmiter teneo, Sacraméta Ecclesię, eo numero, ordine, ac modo, quo illa esse, Ecclesia Catholica ad hanc diem credit, ac tenet: inter quæ, primo loco Baptismus est: quo Sacramen-

cramento, vetus homo noſter crucifigitur, ac conſepelitur cum Chriſto: vt originalis perfidia, & Adæ culpa, aboleatur in nobis, per lauacrũ aquæ: peccataq́; noſtra, tã innata, quàm acquiſita, deleantur Baptiſmo illo: cuius Baptiſta Chriſtus, ſolus auctor eſt: qui nos humano miniſterio baptizat ſpiritu ſancto, & igni. Et quoniam illa regeneratio hominis, merſione cõficitur: ideo confiteor, illa omnia, exſufflationem, ſal, lutum, oleum, aquã, atque chriſma, facto & exemplo Chriſti, ad merſionem baptiſmalem, ritè in Eccleſia adhibita eſſe. ita tamen, vt in his, alia ſint eſſentialia, alia verò accidentalia ipſius Baptiſmi, omnia tamen, in Baptiſmo ſint efficacia. Dominus enim Ieſus, cùm dixiſſet diſcipulis: Euntes baptizate, non expreſſit rem, in quo eſſet baptizãdum: βαπτίζειν enim, quod eſt mergere, & aſpergere: generale nomẽ omniũ humidorũ eſt. Quare illi duodecim Apoſtoli, ſuggerente

gerente illis Spiritu ſancto, cùm recordati eſſent: Dominum, & ſufflaſſe poſt reſurrectionem in diſcipulos: & ſalem ſe appellaſſe: & luto, oculos cœco, aures ſurdo, linguam muto reddidiſſe: & eiectis dæmonijs, oleo ægros vngi voluiſſe: & oportere nos ex aqua, & ſpiritu naſci denuo, dixiſſe: & Chriſtianos nos à chriſmate vocitatos eſſe: Ideo Apoſtoli Baptiſmum, hoc eſt, merſionem, in regeneratione hominis celebrauerunt: omnibus ijſce rebus, quorum nullum eſt, quod humidum non ſit: atq; ita (dubio procul) Eccleſiæ Catholicæ mergendum eſſe tradiderunt. Quapropter, eos omnes, qui inſtituto Zuinglianorũ, atq; Luteranorum, per ſummum Eccleſiæ contemptũ, ex Baptiſmo eiecerũt illa elementa humida: flatũ, ſal, lutum, oleũ, atq; chriſma, inſignes, atq; ab ipſo domino vſurpatas merſiones: tales oẽs, dico eſſe, ac fuiſſe, & fore ſacrilegos hæreticos. eos autem, qui taliter ab hæreti-

reticis baptizantur, ita baptizari affirmo, vt est baptizatus Pharao, in mari: aut coruus in diluuio. Damno etiam eos omnes: qui absq; Baptismo, infantes fideliũ decedentes, saluari docent. damnantur enim illi: quia nati sunt filij iræ. parentum etiam fides, illis ad salutẽ, extra Baptismũ, nihil prodest: quia parẽtes, non ea parte, qua sunt filij lucis, sed qua sunt filij seculi, liberos generant: & eosdem in peccatis concipiunt, Psalmo teste: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Ad quod insitum, & naturale malum, in nobis delendum, in eodem Psalmo remediũ proponitur nobis: Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo mũda me. Nemo igitur, nisi ritè in Ecclesia lotus & baptizatus, potest intrare in regnum Dei. Baptismus ergo, nõ habilitatis, neq; signi, neq; consuetudinis, vt hæretici arbitrantur, res est: sed ineuitabilis necessitas, Domino testifi-

 cante:

cãte: Nisi quis renatus fuerit, ex aqua, & Spiritu sancto: non potest introire in regnum Dei. Ita de Baptismo sentio.

SEQVITVR matrimoniũ: de quo illud breuiter dicam: mihi illud, testimonio Pauli Apostoli, in omnibus honorabile videri: de quo, quum ducta vxore docuerim, quid sentiam, verbis hîc non agam: ne verba, rebus videar anteponere: illud tamen dicã, me credere: non aliter, Sacerdotibus matrimonium esse liberum quã quoad illud Vniuersalis Ecclesię Canones illis liberum esse voluerũt: hoc est, si Sacerdos post consecrationem nubat, sacerdotiũ amittat: retrocedit enim, & ex maiore virtute, in minorem delabitur. Quod cùm vitiosum sit: semper enim porrò, non retro progredi proficiẽtes ad Deum debem9: ideo hic regressus, abrogatione sacerdotij Canonũ præscripto punitur. Sed hanc causam auctoritati Ecclesiæ relinquo.

SEQVI-

SEQVITVR Pœnitentia, quam inter ſacramenta, more vetuſto, pono: quæ inſtituta à Domino eſt, ad deprimēdā ſuperbiam noſtram natiuam: vt enim tollit, ac ſanat, in nobis Baptiſmꝰ perfidiam, Matrimonium verò impudicitiā: ſic etiam tollit, ac ſanat in nobis, Pœnitentia, inſitam ſuperbiam. cuius tres partes ſunt: Contritio, Cōfeſſio, & Satisfactio. Cuius vis, maximè in eo cernitur: cùm contriti, & ad miniſtri pedes abiecti, ꝓprio ipſi nos condemnamus iudicio: confitentes alterutrū peccata noſtra, quo grauius nihil poteſt eſſe. Et quoniā peccādo offendimus Deū, pręcepta illius transgrediendo, & proximum lædendo: ideo in aures Miniſtri, tā Deo quàm proximo confitemur, inſtituto vtiq; Chriſti: qui filium prodigum inducens, ita illum confiteri facit: Pater, peccaui in cœlum & coram te: iam non ſum dignus, vocari filius tuus. Quid cœlum eſt aliud, quàm Angeli, & homines

ſanĉti,in quibus habitat Deus? Quid Pater ipſe? quàm Deus,in cœlo habitans? Porrò,cœlorum nomine,homines ſanĉtos intelligi,teſtatur Pſalmus ille: Cœli enarrant gloriam Dei. &c. Dico itaq;,atque confiteor,Eccleſiam ritè confiteri, cùm dicit: Confiteor Deo, quia mandata eius tranſgredimur: & omnibus Sāĉtis,quos tam militantes in carne,quàm triumphantes in cœlo, varijs ſcandalis offendimus: quos ipſos etiam, confitentes alterutrum peccata noſtra,lętitia afficimus: idq́; teſte Domino, qui dicit Gaudiũ eſſe magnum,in cœlo,coram Angelis Dei,ſuper vno peccatore,pœnitentiam agente: ſcilicet, & peccata confitente. Quamobrem eos,qui aut confeſſionem totam funditus tollunt: aut ex Confeſſione Eccleſiaſtica illud,Cō fiteor omnibus Sanĉtis, eijciunt: dico eſſe ſacrilegos, & hæreticos ſuperbos: quorum alij,per confeſſionē,humiliari,coram Sacerdote, ſub potenti

manu

manu Dei, nolunt: alij verò Sanctis Dei, quos tam triũphantes, quàm militantes per superbiam læserunt, confiteri peccata, & illis nolunt satisfacere: Qui sancti, inquam, cum capite suo Christo, Christus vnus est: & dum Sãctis confitemur, Christo toti, qui est cum Sãctis suis caput & membra, hoc est, integer Christus, confitemur.

DE SATISFACTIONE, quæ est tertia pars Pœnitentię, quod sentit Ecclesia Catholica, idem credo: quę, cùm ex altera parte confessioni respondeat, dico illam bifariam diuidi: vt eius vna pars, ad Deum, in quem peccamus: altera verò, in Ecclesiã, quam lædimus: referatur. Cùm enim cor contritum, & humiliatum Deus non despiciat: opus est, cùm pœnitemus, ita dolere nos: vt illud, quod admisimus, si fieri posset, admissum esse nollem9. Ex qua ratione, pœnitentia Græcis μετανόια dicitur: quòd videlicet, mutemus mentem: vt quos antea delectabat pecca-

 tum,

tum, pœnitentes idem peccatũ, dolore afficiat. Sed hoc non est satis: nam & Caim, & Saul, & Iudas, pœnituerunt: qui tamen damnati sunt. Opus itaq; est, ad pœnitentis dolorem, fide: qua credo, mihi per amarissimam passionem Domini nostri Iesu Christi, peccatum dimitti: qua de re, certũ me facit absolutio ministri: qui me seruũ peccati, virtute clauiũ, ex vinculis absoluit: quia qui facit peccatum, seruus est peccati: à qua seruitute graui, & difficili, vt liberemur: Christus penes ministros suos, potestatem esse voluit, ligandi atque soluendi. Et quoniam peccando, infirmitate, & intemperantia carnis offendo proximum: ideo illi omnibus rebus, quibus possum, in carne mea, satisfacio: & precibus, & ieiunijs, & afflictionibus: dandoq;, & reddendo: & omnibus illis rebus, quę cor contritum, & humiliatum, consequũtur. Damno itaq; eos omnes, qui ex pœnitentia, satisfactionem sustulerunt:

runt:

runt: dicentes pro nobis ſatisfeciſſe Chriſtum. quod quidem verum eſt in capite vtiq; ipſo Chriſto: ſed vt etiam nos pœnitentes, ſuppleamus ea, quæ deſunt afflictionibus Chriſti, in carne noſtra: opus omnino eſt. Si enim paſſi ſumus in capite: patiamur etiam in corpore. hoc enim adhuc deeſt, afflictionibus CHRISTI. Quare qui pœnitentiæ ſacramentum, è ſacramentis eijciunt: aut illam contritione, confeſſione, atque ſatisfactione, non definiunt: omnes credo, æqualiter eſſe peruerſos: atque damnandos, hæreticos.

SEQVITVR COENA: in qua firmiter credo, verum corpus, & verum ſanguinem, ab miniſtris offerri: ſacrificãte, ac ſeipſum tum offerente, ſummo Sacerdote, Chriſto Domino, ſacerdotis manu. dicoq;, virtute verbi, quo factum eſt cælũ, & terra, in ſacrificio altaris, panem tranſire in corpus, & vinum in ſanguinẽ: ita, vt nihil omnino

in ſacramento illo remaneat de eſſentia panis, neq; vini: ſed tantùm remaneant poſt conſecrationem accidētia illa, quæ ſunt de prædicamento quantitatis, & qualitatis: quæ tactu, guſtu, atque viſu, à ſumente percipiuntur. Quicquid verò in pane, ac vino fuit, de prædicamento ſubſtantiæ: id totū transſubſtantiatum eſſe, atq; abijſſe, verbo Dei, in corpus, atque in ſanguinem: illudq́;, quod ibi ſub illis ſpeciebus eſt dico eſſe, verum, ac viuum, corpus Chriſti: ita tamen, vt tam ſub panis ſpecie, quàm ſub ſpecie vini, totus, atq; integer Chriſtus maneat: præſentialiter, atq; corporaliter. Itaq;, verè in ſacramento altaris, verus Chriſtus ineſt: vt in prędicamento ſubſtantiæ, nō autem, in alijs prædicamentis, corpus Chriſti conſideratur.

MISSA.

CREDO atq; confiteor, Miſſam ſacrificiū eſſe, tam pro viuis, quàm pro mortuis: illius ſacrificij cruēti, in cru-

ce peracti: tanquam instar quoddam, in quo ad vnguẽ exprimuntur omnia, tam essentialia, quàm accidentalia, Christi mortis. In Missa enim annunciatur mors Christi, oblatiõe vera corporis, atq; sanguinis Christi: tum verbis, signis, atq; ornatu ipso, atq; omni cultu: ita, vt cùm ad aram sacerdotem, illo ornatu, atq; actu, assistentem videas, ipsum Christum, ad aram crucis assistentem, videre te credas. qui etiam inibi præsens est: ipse sacerdos, ipse sacrificium, ipse oblatio, pro nobis, ministerio humano, apud Deum re vera in Missa existens. Damno itaque ego cœnas sacramentarias: siue illæ Lutheranæ, siue Zuinglianæ, siue Stancaranæ sint. omnes enim istorum nebulonum cœnæ, nihil, nisi meræ præstigiæ sunt: carent enim Christi corporali præsentia. quem corporaliter, in terris, nobiscum viuere: ac sacramẽto altaris, personaliter adesse: isti pernegãt. Carent etiam, ministro legitimo:

nam sacramentum repudiarunt ordinis. Carent intentione consecrandi. Deniq; ipso carent verbo : neq; enim illud, HOC EST CORPVS MEVM purè, vt profertur, sed peruersè, accipiunt : impiè illa verba, Hoc est corpus: pro, significat corpus, intelligentes. Ita isti, contra Ecclesiæ Catholicæ fidem, atq; eius traditionem, purum, atq; sincerum verbum, manifesto sacrilegio violant: atq; adulterãt. Postremò, Cœnæ Sacramentariæ, deposuerunt sacrificantis Christi vestitum: idque iusto Dei iudicio. Nam in illorum cœnis, nõ versatur ille Christus: qui pro nobis captus, & ad palum alligatus, & apud Herodem veste alba illusus, & apud Pilatum purpura irrisus, atq; spinis coronatus, deniq; cruci affixus fuit. Nulla etiam in illis cœnis, accẽdi videas lumina: amiserunt enim lumen fidei: cœciq;, Sathana Chorago, densis cœnant in tenebris. vt in illorum cœnis de cœna illa Christi suprema:

prema: præter panem, vinum, Iudam, Diabolum, atq; noctem, nihil restet amplius. Quas ob res, istas ego cœnas condemno: atq; laqueum eas esse dico illum, quo traditor ipse, se olim suspenderat: Iudas.

CREDO atq; confiteor: Missam, id est, mortẽ Christi (Hebræis enim Missa, vocabulum mortis est) nisi tribus linguis, ita, vt canitur: alia lingua cantari fas non esse. Nam Missa, cùm ex altera parte ipsi Titulo respondeat: idem enim Titulus legẽdo, quod Missa cantando declarat: vtrumque enim mortem Domini annuntiat. vt Titulum, nisi Hebraicè, Græcè, atq; Latinè, scribi aliter fas nõ est: ita Missam, nisi eisdem tribus linguis, celebrari secùs fas non erit. Cùm enim sacrificium Missæ, ad amussim exprimat, crucis sacrificium: nihil debet in exẽplo, quod Crux est, reperiri idẽ: vt nõ exprimatur in ipso exẽplato, quod Missa dicitur. Itaq; habet Missa, Hebraica illa

De rigore Canonis dictum puta.

ca illa verba: Amen, Halleluia, Hosianna, Cherubin, Seraphin, Sabaoth: Postremò, totus ille actus Sacrificij, Missę, id est, mortis nomine, concluditur, vociferante Sacerdote ad populum, Ite Missa est: id autem est, Domum abite, mors Christi vobis annunciata est. Porrò, Missa, itidem vt Titulus, verba etiam habet Græca: quorum sunt illa, Kyrie eleison, Christe eleison: Agios, Ischyros, Athanatos. Græcè sic: κύριε ἐλέησον, χρίστε ἐλέησον. ἅγιος ἰσχυρὸς, ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς. & quę sunt eiusdem modi. prętere, Missa, verba habet Latina, alia omnia. Vnde constat, Titulum atque Missam, reciproca esse vocabula: vt Missa aliud non sit, quàm Titulus loquens: vt vicissim Titulus, aliud non est, quàm Missa tacens. Quòd si quæ gens, pro Latina lingua, Hebraicis, atque Græcis vocabulis retentis, vernaculam linguam in Missa vsurpat: id indulgentia, nō rigore fit Canonis. qui Canon, inquam, rigidissimus cùm sit,

nun-

nunquam se submittit humano ingenio: neque mysteria sua mutat, cuiusquam arbitrio. Quamobrem, damno omnes istos: qui linguam, atq; ritum mutarunt Missæ: illamq; à Titulo fecerunt diuersam, atq; dissimilē. Damno etiam, & vt contagionem quandā, pestemq; communis vitę, Franciscum Stancarum, Mantua fugitiuum, ac Nestorianum hæreticum, detestor: qui, nisi vernacula lingua, Missam aliter haberi fas esse non putat: idololatriamque, cantu vsitato, in Ecclesiæ Missæ committi arbitratur: mentiens Spiritui Sancto, ac Titulum commutans: quod nec Pilatus quidem, scriptor Tituli, facere fuerat ausus. Atq; ita ego, de toto hoc Missæ sacrificio, sentio.

CREDO etiam, à Sacrificio, aliam esse communionem laicam: quæ ritè, tam vtraq;, quàm vna specie transigitur, vt in Grecorum Ecclesijs est: apud quos, hi, qui sacro intersunt, vtramq; speciem: illi verò, qui ægrotant domi,

alteram tantùm panis ſpeciem accipiunt: non minus ſe, ſub vna ſpecie putantes accipere his, qui in templo ſpeciem accipiunt vtramque, idque piè, ac verè. neque enim ſpecies illæ rerũ, ſed res ipſæ, in ſpeciebus illis cõtentę, ſunt nobis ſalutares. Chriſtus etiã in Cœna ipſarum ſpecierũ nõ meminit: ſed ipſas res, hoc eſt, corpus, & ſanguinem ſuum, in os noſtrum ingerit.

Quamobrem, & qui vtramq; ſpeciem ſumit: non ſe plus credat ſumere illo, qui ſumit vnam. & qui vna ſpecie communicatur: non ſe credat minus ſumere, quàm ſi communicetur vtraque ſpecie: modò firmiter credat, corporaliter ſub ſacramento illo, ſe verum, viuum, & integrum Chriſtum, ore ſuo ſumere. Ad quod ſumẽtis os, ſi præſtò adeſt fides: Chriſtus ille, corporaliter in ſumentis ore præſens, in mentem hominis illabitur, & illam illuminat: corpus recreat: totumq; hominem reficit, atq; ſuſtentat.

ſtentat. Quòd ſi abeſt fides: Sacramenta quidem, atq; ſpecies illæ, dentibus præmuntur: ipſe verò Chriſtus, inconſumptus, atque inconciſus manet: fictum illum, atq; perfidum, mirabiliter effugiens.

Quomodo autem, eodem temporis momento, corpus Chriſti in cælo, & in terra, ſimul ſit? quærendum non arbitror: excedit hoc humanum captum. Deinde, vbi modus exiſtendi rerum occultarum quæritur: ibi fides periclitatur. Satis illud ſit nobis ſcire, Sacramentum hoc, communitati, non autem diuiſioni, eſſe tributum.

Porrò, in communitate Chriſtiana: credẽtium cor eſt vnum, & anima vna. Quare, non eſt alienum à potentia diuina: vt in pluribus ſumentibus, vnus & idem ſit Chriſtus. qui tamen plures homines, per fidem, atque per charitatem, vnus homo ſunt. Atqui, huius rei, in ipſa etiam natura, impreſſa

pressa videmus vestigia. nam in mille speculis, eadem facies cernitur : & in mille auribus, vna & eadem proferẽtis auditur vox. si hoc natura efficit? vt eadem res, eodem momento, diuersis existat in rebus: quantò magis, Deus ipse, parens, atque creator naturæ, potest efficere: vt corpus Christi, cœlum, atq; terram, tum fidelium suorũ mentes, ipso se, vno, & eodem tempore, compleat.

Quamobrem, damno, & anathematizo, Sacramentarios sacrilegos : qui corporaliter, hîc in terris, nobiscũ versari, & in Sacramẽnto præsentem, negant adesse Christum.

Damno etiam, & anathematizo, Franciscum Stancarum, Nebulonem sceleratum: impiè affirmantem, cœna in suprema, merum panem, ad vescendum: corpus verò, ad crucifigendum tantùm, fuisse traditum. apertè enim, atq; disertis verbis, idẽ corpus in cœna datur: quòd postridiè crucifigitur.

Præter hos ſceleratos homines, atque impios, damno etiam Samuelem Monachum quēdam, Apoſtatam: qui ſub ſpecie panis, cadauer Chriſti mortuum, abſq; ſanguine, ſumere nos mētitur. eo enim ſtatu, quo eſt nūc Chriſtus, ſumitur: & quoniam, viuit ille: ideo etiam viuus, corpore ac ſanguine vigens, integer, à fidelibus ſumitur. Atqui de communione laica, hæc verè, purè, & ſine conditione, profiteor.

DE SACRAMENTO Confirmationis, cum Eccleſia conſentio: quod, niſi ab Epiſcopis, ritè non traditur: Apoſtolorum vtiq; inſtituto. qui per Orationem, & per manus impoſitionem, firmabant in credētibus fidem: vt habetur Actuum 8. & 19.

VNCTIONIS extremæ Sacramētum, traditione Apoſtolica, ſeptimo loco, ritè ſuperioribus adiungitur: quo in migrantibus, abolentur delicta, excitatur fides: animatur mens: incen-

 ditur

ditur verò charitas.

Huius Sacramenti Iacobus intuēs beneficium, illa præcepit. Infirmatur quis inter vos: vocet presbyteros Ecclesiæ: & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini. & oratio fidei, ſaluabit infirmum: & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.

Hæc ſunt ſeptem Sacramenta illa, per quæ gratiam ſuam, nobis DEVS largitur: & per quæ beneficia Chriſti in nos deriuantur. quibus qui nō vtitur, aut perperam illis vtitur: funditus expers eſt gratiæ Chriſti. vt cauſa alia non ſit: cur inter bonos, ac malos, ingens ſit diſcrimen, niſi ipſorum ſacramentorum legitimus vſus. Hæc enim Sacramenta, ſola ſunt: per quæ nobiſcum communicatur gratia Chriſti.

Quamobrem, damno, atque anathematizo, cuiuſq; generis hæreticos: qui ſacramentis iſtis, appoſuerunt, aut de his diminuerunt aliquid. Super

quos

quos etiã Deus apponet, plagas promissas: & auferet partem eorum, de libro vitæ: & à ciuitate sancta sua.

DE FIDE ET OPERIBVS.

Restat, vt de fide, & de operibus, addam paucis: nam de ijs nunc vehementer controuertitur. tum etiam superiora omnia, ipsa per se nihil valēt: nisi adsit fides, quæ per dilectionem operatur. Quicquid enim ex fide nõ est, peccatum est. Talem ergo fidem, ego probo: & quantum possum, sequor: quæ per dilectionem operatur. Opera etiam, partem iustificationis nostræ, esse affirmo: non ea, quæ antecedunt fidem: & quæ sancta, atque bona, homines arrogantes, ipsi sibi tribuunt: & qui ex operibus legis gloriãtur. de ijs enim scriptum est: Quia ex operibus legis, non iustificabitur omnis caro, coram illo: Romanorũ 3. Sed ea opera, pars iustificationis no-

ſtræ ſunt: quæ fidem, per dilectionem operantem, conſequuntur. quando videlicet homo, incorporatus, per fidem, Chriſto, poteſt, illo intus coope rante, grata Deo præſtare opera. Ta lis fides, cum operibus ſumpta, iuſtifi cat: aliter illa, mortua eſt.

Quæ quidem fides iuſtificans, nobis in Abel iuſto, ad exemplum proponitur: ad quem reſpexit Dominus: & ad munera eius. Illa autem opera, quæ ſine fide ſunt: in Cayno damnauit Deus ad quem perfidum, non reſpexit: neque ad munera eius.

Damno itaque, & anathematizo eos: qui opera à iuſtificatione ſeiungunt: ac fidem nudam relinquunt, ipſa autẽ opera, nil, niſi ſigna, & inditia fidei, volunt eſſe. Si enim Deus, reſpexit ad Abel, hoc eſt, ad fidem Abelis: & ad munera, hoc eſt, ad opera eius: quomodo opera, pars iuſtificationis noſtræ, non ſunt? cùm illa, ex fide manantia, reſpiciat Deus?

Hæc

Hæc eſt, Reuerendiſsime Domine, cius Fidei Confeſsio: quæ in progenitoribus meis habitabat; & quæ per manus, à parentibus meis, mihi tradita eſt: quam etiam tueor pro viribus. Proinde, ſupplex peto: vt Veſtra Re. Do. ſecundum hanc Confeſsionem, me cum his congreget: quos in prouincia ſua, fideles in domino, ſibi habet ſubiectos.

Anno à Natali Ieſu Chriſti. M. D. L I I.

IN CONFESSIONEM S. ORICHOVII, LAVrentius Goslicki, SC. CR.

CVm Sathanæ, Christum doceat, sine lege, ministri,
Atq; trahunt, stultos, in sua fila, greges:
Christe, tuis, nimium felix Orichouius, armis,
Quam docuit Petrus, suadet amare, fidem.
Sicq; fugit cautus, notos Orichouius hostes:
Circeosq; procul, uertit ab aure, sonos.
Rodere dente parãt, famulũ, gens perfida, Christi:
Nam pura Christum, mente, fideq;, colit.
Sed tamen has pelagi, gaudet perferre, procellas:
Militis ut Christi, munus obire queat.
Christicolasq; docet, nocuas uitare latebras:
Quas omni statuit, turba prophana, modo.
Syncerum, Christi respirat pneumate, uerum,
Et rectum, puro pectore, monstrat iter.
Hic maneat, Lector: fidei hic tentoria sistat.
Tutus ab insidijs, quas struit hostis, erit.

STANI-

STANISLAO ORICHOVIO, IOANNES BIEDRZYCKI.

MOre q antiquo Christũ, Stanislee, fateris:
Efficis, ut priscos, multi imitemur, auos.
Nam tua, cùm ueteres, referant monumẽta, labores:
Ac placidi fias, parsq; decusq; gregis:
Est opus, ut Grillo sit adhuc agrestior ille:
Qui uelit à tanto, se remouere uiro.
Ergo sacrilegis uiuas, metuende, tyrannis:
Viuat & ingenij, dextera fama, tui.

IDEM CHRISTIANO LECTORI.

ARguit ut nequam, rudis ignorantia, seruum:
Cùm scit de Domino, nulla referre suo.
Sic eris haud uerus, sacrati cultor ouilis:
Si malè pastorem, confiteare tuum.
Hæc igitur uideas, paruo contenta libello:
Disces, quod placidam, nosse iuuabit, ouem.

STANISLAI ORICHOVII GENTE RO-XOLANI, NATIONE VERO PO-loni, *in VVarſzauienſi Synodo prouimciæ Poloniæ, pro dignitate ſa-cerdotali*

ORATIO.



COLONIAE,
Apud hæredes Arnoldi Birckmanni. 1563.

S·O·R·

IN ORATIONEM PRO DIGNItate Sacerdotali VVarſzauiæ: in Synodo prouinciæ Poloniæ: habitam, ad Berardum Bonioanem, Ciuem Romanum: & Camerini Epiſcopum: ac Sedis Apoſtolicæ per Sarmatiam Legatum.

PRÆFATIO.

ORationem pro dignitate Sacerdotali in Synodo Vuarſzauiẽſi habitam, ad te mitto: in qua Matrimonium cum Sacerdotio ita comparatur: vt neceſſe ſit, vt lancem in libra ponderibus impoſitis deprimi: ſic Matrimonium Sacerdotio cædere. Hanc ego cauſam vt præſidente te in Synodo agerẽ, cùm multi mei, varijsq; caſus adegerunt me: tum auctoritas tua, atque virtutũ tuarum excellens fama me impulit: qua

qua captus, ex Russia quoque VVarszauiam me contuleram, vt virtute fruerer tua. Quæ, quanta in te sit: facilitate atque clementia id, quotidie tua declaratur. Nam qui te mirãtur, hanc habent Sedi Apostolicæ gratiam: quòd aliquando in Sarmatiam talẽ ad nos Legatum miserit: cuius, neque indulgentia, in nos dissoluta, neque grauitas nobis esset molesta: sed illa digna homine Romano inesset in te, permista grauitate comitas. Qua, & aures nostras teneres: & animos nostros spe rerum salutarium caperes. Tum etiam illa in tuis summis laudibus feruntur: te videlicet, non omnia pro summo iure nobiscũ agere: sed cuncta ad captum, salutémque nostram conferre: neque acri cauterio potius, quod nullo emolumento factitarunt alij: quàm salubri collyrio nos ęgros curare velle. Hac ego ęquitatis, atque clementiæ tuæ fama impulsus, VVarszauiam, ad Synodum

Prouinciæ Poloniæ edictam, venies: Orationem hanc habui: qua, magno hominum, cuiúsque generis in conuentu, cùm alijs Poloniæ regni Episcopis: tum verò, vel inprimis tibi, Legato Apostolico, submissè supplicaui: vt me aliquando, non solùm hæreseos crimine: sed etiam suspicione huius nefarij criminis, liberares: neque me hominem sedi Apostolicæ coniunctissimum, cum his hominibus impijs congregares: qui cum sede Apostolica indictum bellum gerunt: quibus cum, quàm assiduum atq; acerbũ pro Sede Apostolica mihi sit bellum: cùm libri nostri per Poloniam vulgati, tum etiam perpetuæ disputationes nostræ, cum hæreticis habitæ, passim testificantur. Manet etiam nunc animus idem: eò etiam spectãt nostrę curæ: vt omnes tam æqui, quàm iniqui mei intelligant, me germanum esse, ac semper fuisse Ecclesiæ Catholicæ filium. Neque verò ego ab hoc pro-

posito

posito abducor hominum potẽtium minis: neque illorum moueor gratia: quò minùs Romanæ Ecclesiæ fidem meam præstem: & illi operam fidelem, pro mea virili parte, nauem: vt iam minimè decere videatur: pro tantis meis erga Sedem Apostolicam meritis, me excommunicatum ob hæresim à vobis videri. Quo sanè falsò vt aliquando leuer crimine, maximam partem in te est situm: qui & ex confessione mea, & ex testimonio sacerdotum publicorum Poloniæ regni, fidem meam erga sedem Apostolicam perspectam habes, atque cognitam. Et vt hoc cumulatius etiàm facias, orationem ipsam ad te mitto, & in tuum illustre nomen illam dico: quæ hoc argumento est constituta. Cùm constet Matrimonium atque Sacerdotium duas res in vita sanctissimas atque honorificentissimas esse: id controuersiam facit: num, videlicet, ex alterutro horum, in alterum

comeatus eundi, & redeundi perinde nobis detur, quàm ex Athenis (verbi gratia) Thebas: & Thebis, Athenas itus, ac reditus datur. Tum Sacerdotium ipsi Matrimonio quoto tandem præstet gradu?

Sed iam Orationem ipsam audiamus.

STANISLAI ORICHOVII GENTE ROXOLANI, NATIONE VERO POLONI, *in VVarſzauienſi Synodo Prouinciæ Poloniæ, pro dignitate Sacerdotali*

ORATIO.

QVandoquidem, Pontifices, voſq; qui adeſtis cæteri, ſimplex veritatis ſermo eſſe perhibetur: minimè decere arbitror, apud vos Antiſtites religionis, atque veritatis, aliquo Rhetorum vti artificio: quo mihi veſtra beneuolentia, ad me audiendum comparetur. quod ibi ex vſu fit, vbi auditor verbis capitur: non autem re ipſa ducitur. quæ in ſapientium cœtu, & in prudentium conſilio, quales vos eſtis: ſpecie, ac vi ſua mouet animos,

mos, tãetſi orator adeſt nullus. Quã-obrem, cùm intelligam vos huc religionis ac veritatis conſtabiliendę cauſa conueniſſe, omni arte dicendi intermiſſa, vnde longè abſum, pura oratione, ſic agam vobiſcum, vt minorẽ cum maioribus, vt filium cum patribus ſuis, agere par eſt. Id præfatus, paucis, quod veni eloquar.

Si quis eſt, qui placere ſe ſtudeat vobis omnibus: & minimè vos, ordinémque veſtrum velit lædere: in ijs ego nomen profiteor meum. Nulla ſpe præmiorũ veſtrorum adductus: ſed illo oraculo impulſus: Qui vos audit, me audit: Qui vos ſpernit, me ſpernit. Nam qui vos contemnunt, ac negligunt, turbant eam pacẽ, quam filius ipſe Dei Eccleſiæ ſuæ hinc abiens reliquit. Et quoniam ſummo Philoſopho teſte, pax aliud nõ eſt, quàm tranquillitas ordinis: qui turbat hãc pacem, turbat Eccleſiæ ordinem. Nec quemuis ſanè, ſed eum, qui gradibus

diſtinctus atque generibus diffinitus, priore ac poſteriore maximè eſt illuſtris. quæ ſi in ordine non ſunt: nulla poteſt eſſe minori, ad maiorem naturæ adiunctio: nihilque reſtat amplius inter homines, quod regat pudor.

Equidē, cùm eius ciuitatis me ciuem eſſe glorier, quæ ſancta eſt: quæ Hieroſolyma, hoc eſt, viſio pacis eſt: quæ non è terra oritur, ſed alto cœlo demittitur, omnia, quæ ad illud exemplar, vnde ea ducitur: exprimendum faciunt, complecti debeo ſanè fideliter. Nolo hanc ciuitatem Babylonem eſſe, hoc eſt, ſtatum multitudinis imperitæ, in qua non eſt conſilium: non ratio: non diſcrimen: à qua facinus nunquam abeſt, neque maleficium: Sed ſit velim hæc ciuitas, regnum illud cœleſte: in quo multitudinis poteſtas omnis, vnius vi nutúque tenetur. Deinde hæc ciuitas ſit ſancta: ob illius videlicet aſſiduam

præſen-

præſentiam, qui ſolus ſanctus ſanctorum eſt. Denique eadem hæc ſit pacata: quod huius ciuitatis circumcirca pax poſiti ſunt fines, id autem eſt, tranquilliſſimus ordo veſter, quo hæc ciuitas circumcluſa, in vno ordinis veſtri Principe Romano Petro, vnitatis ſacramento ideo eſt conſecrata: vt inde, tanquam à fonte quodam perhenni: per Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores atque Doctores, miniſterium veſtrum ordine deriuetur: ad conſumationē ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: quod non eſt aliud, quàm Eccleſia Dei viui: columna, & firmamentum veritatis.

Quapropter, vt conciuē veſtrum decet: in conſpectū veſtrum ſupplex prodeo. Vos ego huius ciuitatis veros magiſtratus, pro veſtra rata parte agnoſco: vos in partem ſollicitudinis eius adminiſtrandæ à Petro Romano vocatos veneror: vos præſides reli-

gionis esse illos in hac ciuitate confiteor: quorum labia custodiunt scientiam: & de quorum ore Septentrio hic legem Dei requirit. Vos enim estis in Sarmatia Leuiticum genus illud: quibus cum iudicium lepræ, Romani Petri clauibus, est communicatum. tanta quidem auctoritate, vt in Deuteronomio, hoc est in secũda lege, quæ lex Euangelica est: vitæ pœna iudicium vestrum fuerit sancitum. Vos ergo, ô Leuitæ Christi veri, huc quæso animos aduertite: & me ad pedes vestros iacentem aspicite. ecquid lepræ eius in me sit: ob quam damnatus, & exul, omnibus populi Christiani commodis tamdiu careo.

Causa mali tanti vxor ducta esse dicitur: quam ego duxisse me fateor, virginem nobilem: à parentibus mihi traditam sponsam: ac liberaliter dotatam: & à Paranymphis in domo paterna collocatam, solenni nuptiarũ ritu. decimus hic annus est à nuptijs illis,

illis,tota Polonia ſermone omnium celebratiſſimis.

Sed hoc loco dixerit fortaſſè quiſpiam: parum ne tandem id tibi valet ad lepram? an hoc peccatum animaduertendum in te non fuit? Ego verò Pontifices, vt lepræ,ita peccatorum quoque gradus diſtinctos eſſe arbitror: quorum nullum eſt, quod non ſit animaduertendum. Aliter enim peccatum: niſi puniretur, non eſſet. Sed tamen ille idem Moſes, qui gradibus peccata diſtinguit: pro delicti modo, præſcribit & plagarum modũ. Nam in iudicio lepræ,parte ex aliqua leproſum,extra caſtra pellit: contrà verò,idem,funditus leproſum, in caſtra recipit. Cum hoc, commertium: cum illo, ne conſpectum quidem, vult eſſe nobis liberum. In peccatis quoque expiãdis: permagnum apud Moſen eſt diſcrimen. Alia enim peccata apud hunc, thure, odoribúſque incenſis,oleo inſuper addito,in victi-

mas expiantur. Alia verò nullis ſuffimentis, abſque oleo ab eodem procurantur. Quid ita? quia non parùm intereſt, ex animo quid, & de induſtria pecces: an errore, & inſcitia. Quare cùm peccatur conſultò, ſcelus fit deteſtabile: nullis ſuffimentis procurandum: neque oleo expiandum. Quòd modi iſtius ſceleris odor deo primũ ipſi exiſtat teterrimus: deinde quòd enecat conſcientiam peccantis, dignum non eſt: quod oleo læticiæ hylaretur. At illa quæ errore, & inſcitia fiunt: thure, atque oleo expiabat Moſes. Nam hęc licèt ſint flagicia & ipſa, non tamen ſunt eiuſmodi, quæ Deum à peccante funditùs alienent: & quæ ipſum delinquẽtem deſperatione frangant.

Ad hoc peccatorum diſcrimen, tanquam ad normam certam, peccatum meum à me exigatis velim: quin immò, ex hac corona doctiſſimorum virorum, qui vos circumſtant, prodeat

at in medium qui vult: ac mecum, vobis disceptatoribus, de meo peccato agat hoc in loco familiariter. Si enim quis horum à me quærat, num vxoré sacerdos duxerim? duxisse me fatebor. peccasti igitur? peccaui. pœnas ergo peccati debes? debui, & persolui: factúmque hoc meum thure, atq; oleo expiaui. quid ita? quia Matrimonium, & sacerdotium vt sacramenta sunt: ita paria esse credidi. Nec minus ex alterutro, in alterum commeatum eundi, & redeundi dari, quàm ex Athenis, verbi gratia, Thebas: & Thebis, Athenas itus, ac reditus datur. Et quoniam hoc prauo sensu confunduntur sacramenta, vt alio loco apparebit: ideo hic flagitiosus error, plenus inscitia, & ignorantia, notatione atque animaduersione censoria dignus fuit. Cui tamé nihilominus expiatio thuris, atque olei, hoc est, misericordiæ, atque lætitiæ deberentur signa. neque enim à superbia, atq; ar-

rogantia naſcitur delictum hoc: cui miſericordia nulla debetur: ſed ab humano errore, & inſcitia totũ proficiſcitur: quam, apud ſapientes iudices, facilè conſequitur venia, atque miſericordia.

Sed locus poſtulat, vt me vobis totum iam indicem: & qui dudum fuerim, oſtendam. Audite ergo Pontifices, & cauſam huius erroris mei, vnde nata ſit, breuiter cognoſcite. Confiteor in præſentia, me, extrema pueritia VVittembergam à patre traditum fuiſſe in M. Lutheri diſciplinam: in cuius etiam ludo adoleueram: & vnde cupidiſſimè hauſeram ea, quæ ad perturbationẽ rationis, atque ordinis Eccleſiaſtici planus ille tradebat. Quorum illud fuit præcipuum: ſacramenta paria eſſe: nec plura duobus eſſe. Reliqua verò quæ haberentur quinque, partim eſſe ementita, & res nullius vſus: vt ſunt, Pœnitentia, Confirmatio, atque Vnctio. partim

verò

verò eorum esse statum quendam vitæ liberum, vt est Matrimonium. Partim autem populare munus quoddá esse, vt est Sacerdotium: quod in Ecclesia non charactere aliquo intimo: sed plebeio suffragio haberetur insigne: Quod quoniam totum opinione constaret populari, causa non esset, cur æquè sacerdoti non daretur vxor, vt datur plebi. Hæc ego puer audiens, & vera ne, an falsa essent nondum per ætatem discernens, auctoribus callidissimis inductus, arripui: atque cum his sententijs pariter adoleui: Neq; solùm disputandi causa: sed etiam ita viuendi. Porrò ad hanc sententiam probandam, multum adiuuabat adolescentia: cui ætati, præter voluptates, blandissimas dominas, nihil æquè quicquam dulce est. Itaque æstu illo ætatis abreptus, & illis sententijs Lutheri captus: vxorem duxi: flocci illud faciens: quòd sacerdotem prius fueram professus.

Cuius officium, atque munus, instituto Lutheri, non plus ponderis apud me habebat: quàm habent horum quotidanorum magistratuum officia, atque munera. Quo etiam erat factum: vt illud sacerdotij munus αὐτοσχεδιάζων, quod Græci dicunt: ac planè ludibundus de manibus alieni Episcopi, absq; auctoritate Diœcæsani mei, vt instanti satisfacerem patri, acceperim: renũciatusq; sacerdos ita fuerim, vt Stanislaus Tharlo, Episcopus tum meus, eam renunciationem ratam non haberet: nec me inter sacerdotes publicos Diœcęsis suæ propterea censeret. Nil fingo: rem ipsam dico Pontifices. Nouit enim is, quem híc coram adesse video, vir bonus, fortis, & experiens Canonicus, Ioannes Bielecius, qui controuersiæ illi nostrę non solùm interfuit: verumetiam iudex quodam modo præfuit. Neque verò ego me illo pœnitendo modo sacerdotio implicari passus vnquã fuissem

ſem: niſi illud munus cõmune, ac vulgare eſſe exiſtimaſſem, quod peræq; cum maritis, vt cum alijs poſſet communicari. Cauſam erroris audiuiſtis: nunc huius errati agnitionem audiatis.

Nam poſtquam deferbuit ætas: animúſque, quaſi ex magna iactatione maris, ſic ex illo æſtu libidinis in tranquillum ſe aliquando recepiſſet, cœpi ad ſingula Lutheri attendere. Deinde cum Eccleſia rediens in gratiam, illam adhibere in conſiliũ: illã audire: illi obtemperare inſtiti. Poſtremò, Lutherũ ipſum, quaſi ad perpendiculum ipſius Eccleſiæ, totum exegi. Quid multis opus eſt? cum rationes Lutheri, ex rationibus Eccleſiæ ſpectarem: deprehendo eius eſſe omnia turbulenta, temeraria, & perículoſa: qui confundit vera, cùm falſis. Poſtremò, qui ita confuſus eſt, & perturbatus: nihil vt ſit in eius rationi-

rationibus primum nihil vt secundũ. Atqui, speciem quidem, atque pompam veri interdum habet Lutherus, magnificam: sed idem tamen voluntatem, & causam semper habet impudentissimam. Et vt hoc ita esse apertè cognoscatur: quod de Matrimonio, & Sacerdotio ille sensit, operepretium fuerit paucis cognoscere.

Proponebat pueris nobis circumscriptor ille imperitorum: & pestis perditorum hominum, effatum illud. Quæcunque vno, & eodem verbo Dei generantur, tanquam paria inter se, eodem verbo quoq; Dei sanctificantur: atque ad hominum vsum peræquè accommodantur. At cùm Matrimonium, atque Sacerdotium, pro ratione ortus sui, eiusdem modi sunt: ita fas est sacerdoti fieri maritũ, vt marito sacerdotem fieri fas est. Atqui hæc est illa ratio atque conclusio Lutheri, quæ me ex sacerdote coniugem, ex cœlibe autem fecit patrem:

quæ

quæ etiam has hæreſes omnes, quas patimur, & quibus premimur, in Polonia ex iurgio noſtro, ne quid dicam grauius peperit. Nam cùm Ioannes Epiſcopus, qui Tarloni ſucceſſit, & qui nuper eſt mortuus: ereptum mihi vxorem veniret: ſcitis, (meminiſſe enim vos arbitror) quas pugnas, atque turbas, cùm alibi, tum verò Pietricouiæ Comicijs publicè ediderimus vtrinque. O acerbam mihi Pontifices memoriam temporis illius. Etenim, quid tum egerim: & quorum malorum caput, atque cauſa fuerim: nunc demum intelligo. Sed quoniam præterita reprehendi poſſunt: corrigi non poſſunt: prȩteribo hunc, tanquam aduerſum vitæ ſcopulum: & ad Lutherum me referam. Cuius ſi rectis oculis ſententias inſpicias: & fucum illum verborum, quem is facit populo, de illius ſententijs demas: deprehendes facilé falſum eſſe illud, quod nequam ille pugnat: Matrimonium,

nium, videlicet, atque Sacerdotium, quod ex eodem Dei verbo exiſtunt, tanquàm paria, commiſceri inter ſe atque cõfundi poſſe. Quàmuis enim ſacramenta, pro ratione eiuſdem verbi, genere ipſo, paria ſunt inter ſe: ipſo tamen alia, ab alijs plurimum diſtant gradu. Semen enim illud, quod eſt verbum Dei, ſatum in terram, non pari vbertate ſuos effundit fructus. Nam eius ſeminis, alius eſt fructus cẽteſimus: alius ſexageſimus: alius verò trigeſimus. Porrò in hoc trigeſimo eius ſeminis fructu: Matrimonium locari veteres arbitrantur Patres. Quare, ex trigeſimo fructu infimo (neque enim tribus inferior numerus alter eſt) in centeſimum fructum, qui decimi numeri, vtique quadrati, decies ducti, ſumma eſt: proficiſci iúſque, fáſque eſt. At cum in hoc proceriſſimo numero ſacerdotij conſiſtit amplitudo, vt centeſimus fructus, trigeſimo comprehendi nequit: ita ſacer-

dotium

dotium Matrimonio non comprehenditur: Neque ex ſacerdotio in matrimonium datur reditus: neque ex ſacerdotij aſcenſu, in matrimonij deſcenſum vlla ducit via. Ac fieri quidem poteſt, vt maritis ad ſacerdotij honorem pateat aditus: vt etiam nũc cuncto in oriente patet. Nil enim vetat ex imo ad ſummum proficiſci: & infima in ſummis includi. Contrà verò ſi fiat, id tanquam præpoſterum, atque peruerſum abrogatione ſacerdotij corrigitur in delinquente. In hanc rem, teſtes ſunt patres Conſtantinopolitani Concilij, Ca.vj.xij.xxi. Neocæſarieñ ca.i. Dis.xxiiij. ca.præsbyter. Datur enim à patribus cuique poteſtas, atque optio, pœna legibus perſoluta, vt eligat vtrum velit.

Quare, erras Luthere: & hæc omnia, quæ aſſeueras, ignoras: rationes enim atq; numeros Eccleſiæ Dei confun-

confundis: & cœlum terræ, quòd dicitur, misces: dum infima, summis paria facis: & grandia quæque minutis in rebus includis. Neque te iam illæ sententiæ iuuant: quas tu tanquam ex armamentario Ecclesiastico, ad tuum constabilendum errorem, contra nos proponis. Qui vxorem ducit, nō peccat: Melius est nubere, quam vri: Vnusquisque vxorem suam habeat: Denique illud: Honorabile connubium in omnibus, & Thorus immaculatus: Fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus. Hæc enim vera sunt omnia: neque de illis ambigendum amplius est: quæ semel sanxit Apostolica vox. Sed num id nobis controuersiam facit? aut in disceptationem id venit? vtrum, videlicet, Matrimonium, status vitæ honestus sit, tam naturæ legibus, quàm moribus gentium, institutísque concessus? vt tibi iam cum Tatio hæretico, non nobiscū lis hæc esse videatur: qui quòd

Matri-

Matrimonium peccati loco duxit, ipsius orbis terræ ſententijs omnibus eſt cõdemnatus. Quare, damus hoc tibi, & concedimus Luthere, honorabile, videlicet, connubium æquè eſſe, vt eſt Sacerdotium in Eccleſia ſancta Dei. At, ſi rectè attendis: non de ſtatu vitæ aliquo, qui vt in Matrimonio, ita in Sacerdotio quoque integer, & in nullo diminutus eſt: Sed de conuerſione ipſius ſtatus nobis tecũ in præſentia quæſtio eſt. Cùm enim conſtet Matrimonium, & Sacerdotium duas res in vita ſanctiſſimas, & honorificentiſſimas eſſe: de eo naſcitur inter nos quæſtio: Nũ ex Sacerdotio ad Matrimonium perinde detur reditus: vt ex Matrimonio in Sacerdotium datur aſcenſus. Nam, & apud Græcos, mariti, & apud Latinos, vidui: Sacerdotes creantur. Contrà verò Sacerdotes apud eoſdem, ſine pœna, nunquam maritantur.

Ac fuerat quidem, Pontifices, ſan-

ctiſſimo ſacerdotio præditus Luthe-
rus ipſe quoq; :vt autem is ex ſacerdo
tio ad hęc ima libidine præceps, dela
pſus fuerit: argumento nobis eſt ipſi-
us contumacia. quòd is ſacerdotum
primus ita vxorem duxerat: vt ſacer-
dotio nihilominus fungeretur. à quo
illum poſt initum matrimonium, om
nes humanæ, atque diuinæ remoue-
bant leges: vt apertè extat in Decre-
tis præſcriptum. Dis. xxiiij. ca. cum de
quorundam: Et Dis. 21. ca. Epiſco-
pos. Nolo turba Canonum citanda
vobis moleſtus eſſe: perſpicuũ enim
eſt, conuerſionem talem vitę, Canoni
Eccleſiaſtico vehementer eſſe aduer-
ſam. Nam, ſi vetera etiam memoria re
petamus, ne antiquitas quidem illa
Moſaica ex Sacerdotio aliquem mari
tum factum vnquam vidit. Nam, &
Moſes iam maritus, Ietríque gener in
Ægyptum ad liberandum Iſraël Sa-
cerdos miſſus fuit. Et Aaron, atque fi
lij eius ex Matrimonio in Sacerdoti-
um ve-

um venerũt. Ita antiquitus maritum ad Sacerdotium fas fuit progredi: ſed regredi Sacerdotem ad Matrimonium nullo modo, ſacerdotio ipſius ſaluo: quod è veſtigio is amittebat: qui inde ad vxorem redibat. quod etiam nunc diligentiſſimè cuncto in oriente obſeruatur: vbi ſacerdos amiſſa vxore prima, non ducit ſecundam: aliter enim ſacerdos ille non eſt.

Sed, vt meum aliquando negotiũ agam: ſciebam equidem mihi licitũ fuiſſe, ante ſacerdotium vxorem ducere: ſed poſt ſacerdotium initũ idem mihi non licuiſſe, nunc demum intelligo: ſacerdotio meo ſaluo. Non quò Matrimonium pœnitenda res eſſet: quam ſancitã eſſe mortalibus lege naturæ, & communi iure gentium intelligo. Sed quoniam, omnis melioris vitæ, in deteriorem conuerſio, viciosa eſt: ſummo cum probro, & cum hominum offenſione coniuncta: ideo abrogatione ſacerdotij, quaſi diminu

 tione

tione capitis quadã, maritus plectitur Sacerdos: ac laica communione, vt vocant, ex amplissimo dignitatis gradu, in ordinem redigitur. Ac meritò quidem: si enim viduus, quem in sexagesimi fructus gradu ponimus: flagitium cõmittere putatur, Bigamúsque Græco & inuidioso verbo appellatur: & ad pœnitentiam propterea redigitur: quòd is ad vxorem, quæ in trigesimi fructus gradu consistit: redijt, sacerdoti quid fiet, qui ex centesimo vitæ beatę fructu delapsus, infra viduos omnes homines in postremo vitæ hæsit gradu: vxorem inde dũ petit sibi? Quo in vitæ gradu infimo, terrenis ille sese obliniuit moribus: ac voluptatum insolens, quid vxor, quid liberi, quęue pręmia Veneris essent nosse concupiuit. ob quas res partem illam optimam, in Magdalena laudatam, communicauit cum Marthæ parte curarum, ac sollicitudinum plena: & in eadem Martha à

Domi-

Domino reprehenſa. vt in hac vitæ conuerſione, pro mancipio ſeſe alligaret vltro muliebri & delicato corpori, in quo vitam viueret more arbitrioq; alieno.

Sed hîc nobis occurritur, & quidẽ à noſtris. Tu vxorem, tu liberos, tu domum, tu familiam dignas res non putas eſſe, quæ à ſacerdote curentur? quid autem reſpõdebis Apoſtolo Paulo, qui ad epiſcopatum eum ſibi dari poſtulat, ſuæ qui bene præſit domui? Gangreñ etiam vetuſtiſſimi Concilij decretum, execrationibus publicis, ſancit curam ſuorum. Sed hoc crimen refellit res ipſa: neque enim id nunc quæritur, num bono, videlicet patri, aliquando deſerendi ſint vxor, liberi, domus, familia. Perſpicuum enim eſt: quàm non ſit boni officium patris hæc deſerere: quorum cauſa munus ipſum paternum eſt conſtitutum. hoc enim cùm in plebeio quoque eſt culpandum,

tum in eo maximè reprehendēdum; qui more institutóque vetusto, ex matrimonio in sacerdotium facit gradū. Sed nos hoc loco quærimus, sit ne sacerdotis hęc aliena curare: & in alieno negocio negociosum esse? qui in Euangelium segregatus esse dicitur, à rebus vtique omnibus Euangelium interpellantibus. Porrò quid tam interpellat Euangelicum munus, quàm vxor? quàm liberi? ob quas res idem Paulus diuisum esse maritum scribit, quòd eius omnis stet cura in vxore, ac liberis tuendis. quæ deserere æquè scelus est patri vt patriam prodere. Sed tamen id viderit ipse pater, præpositus coniugio: non sacerdos, præpositus Euāgelio, qui aliud nihil nosse debet, nisi legem Dei; nil eorum omnium curās, quæ retro, atque à tergo fiunt. Quare, si de officijs, atque muneribus vitæ quærimus: ita vxorē, & familiam referemus ad parentem: vt doctrinam Euangelicam ad sacerdotem

dotem referimus, &, vt pœnam de- ſertori familiæ execrationem irrogabimus vitæ; ita deſertori doctrinæ Euangelicæ, abrogationem ſacerdotij irrogabimus: quod neceſſariò ſacerdos intermittit: dum in alieno negocio curioſus, maritali munere perangusto, ſuum ampliſſimum ſacerdotale extenuat munus.

Sed pro veſtri officij dignitate atq; gloria, quoniam is eſt exorſus orationis meæ: videte quantum tandem munus ego vxore commutârim imprudens? Quo in munere omnis poteſtas Dei opt. max. aut translata eſt ad vos: aut communicata vobiſcum. quæ omnium diuinarum atque humanarum rerum apicem vobis in Romano Petro impoſuit: vt hoc principe ex vobis pendeant, & ad vos redeant vniuerſa. Itaque nihil eſt ordine veſtro maius, neque præſtabilius, neque ſalutarius: in quo poſiti, dij quidam, non autem homines mortales

viuitis, versaminíque nobiscum. quid enim tam proximè ad Deum accedit: quàm hominibus mortuis non solùm vitam in Baptismo: sed etiam ipsam diuinitatem dari? vt quos modò iræ filios videmus esse generatos: eos ipsos mox filios gratiæ deintegro à vobis habeamus recreatos. Iá quid est sanctius, aut antiquius? quàm homines aptissimo matrimonij vinculo astringi? vt cognationibus, & affinitatibus alligatum à vobis humanum genus, ac pecudum ritu liberatũ: quàm maximè vnum fiat. Quid porrò est tam potens, tàmq; magnificũ? quàm hominibus ad vestrum nutum cœlum patere, & ad renutum eisdem infernum hiare? Quid tam liberale, támque munificum? quàm sanguine, & corpore Christi Dei nostri vobis administris nos saturos fieri? vt corpus, ac mens nostra saturata illis epulis, Deum intus habitantem totum possideat. Denique quid tam regiũ,

quàm

quàm fidẽ dare Christum professis? eámque fixam, atque ratam in ijs facere. Postremò, quid tam necessariũ est? quàm spem vitæ morituris tum facere, quando bona spes cum omnium rerum desperatione confligit? atque eius spei signaculo olei, se vadem apud moriturum interponere? Quãobrẽ, rectè à Dauide rege soli Dij appellati estis: qui vitam nouam nobis affertis: pudorẽ, pudicitiámque præstatis: afflictos excitatis: fidem firmatis: datis salutem: à Sathana liberatis: & hinc nos in cœlitum numerum humeris propemodum vestris transfertis. Meritò igitur vos inter homines vim, & numen Deorum tenetis: Meritò etiam numen vestrum æquè nobis graue, & sanctum, ac Deorum immortalium esse debet. quandoquidẽ diuinum numẽ, nisi vestris precibus, ac sacrificijs votísque solennibus, neque placari, neque conciliari nobis aliter potest.

Quorum nos in ſinum grauiſſimis caſibus afflicti, ac magna tempeſtate iactati, confugimus. Apertè enim videmus: ſine vobis, nullam vitam hominum eſſe poſſe. nuſquam ſalutis ſpes: nuſquam etiam citra vos locus conſiſtendi, cuiquam datur tutus. nã non eſt vllus, vlli, medius locus: vt poſſit eſſe, niſi cum diabolo: qui non eſt cum Chriſto: in cuius Chriſti regno vos adminiſtri eſtis illi, & ſatellites, qui diſſipata congregatis: diuiſa copulatis: cõfuſa verò ordinatis. Cuius igitur nos in hac conuerſione vitæ, aut opibus vtemur, aut auctoritate nitemur, potiùs, quàm veſtra? qui in cuncto Chriſti imperio ſoli eſtis reges illi regum, qui non hominibus tantùm: ſed dijs etiam ipſis præſidetis: quos omnes veſtræ poteſtati, veſtróque iudicio Deus ſubiecit. Hic ergo hærebo Pontifices: & in veſtro ſinu habitabo: nemo me auellet à vobis: nemo me vobis præripiet: fruſtra

exitum huius iudicij, hostes expectãt vestri. & salua, & perdita re in vestro complexu permanebo. vt cùm sors mea sacerdotē me ordine vestro deijciat, pietas tamen maritum me in fide vestra retineat. vt ita, si non magistratus: at priuatus certè quidē subiectus vobis, conciuis sim vester, vestri regni particeps.

Quod regnum, ob admirabilem excellentiam virtutum incredibiliũ, solùm omnium seculorum regnum est, vt Psaltes ille cœlestis cantat: & filiæ regum, id autem est, Ecclesiæ Episcoporum: altisona voce, & vna mente piè, ac verè profitentur. Quod enim regnum præter vestrum perpetuari quisquam contendat? vbi Assyriorum regnum illud aureum? vbi Persarum argenteum? vbi Gręcorum æreum? vbi postremò Romanorum regnum illud ferreum nunc est? cum vestigio euanuerunt omnia regna hæc: ita vt nisi Danielem legeremus, qui

hæc

hæc ita diſtinguit: & libros Græcos, & Latinos haberemus, qui hæc poſteris produnt: ne fuiſſe quidem in rerũ natura aliquando illa regna ſciremus. omnia enim calamitas afflixit, diſpulit, deleuit. At regnum veſtrum nullis temporibus mutatur: neque tempeſtatibus obruitur: neque procellis extinguitur. Sed tum demum cùm vexatur, creſcit: cùm iactatur, quieſcit: cùm opprimitur, ſurgit: cùm in tenebris eſt, lucet: cùm pellitur loco, manet tamen, atque hæret in patria: ſplendétque per ſeſe: nec mundanis calamitatibus vnquam obſoleſcit. Redundet licèt Tyberis, ac ſeptẽ arces illas obruat; nunquam tamen is regnum, ordinis veſtri principis, Petri, in illis conuallibus vrbis Romæ poſitis, fluctu obruet ſuo. ſemper eius regni ſedes extabit, atque eminebit: tametſi illa montium impendentium altitudo, Tyberinis conuulſa fluctibus reſederit, atque aquis obruta fuerit

fuerit vniuersa, Iam illæ. huius princi pis ſedis, reliquæ tres adminiſtræ, atque comites, quas Patriarchales ſedes appellamus: ſemper hanc primã ſedem reſpicient: ſemper ſtabunt incolumes, æternumq́; cùm hac prima ſede manebunt, vel Pontus efferueſcat in Aſiam: Nilus etiam in Ægyptum erumpat: Denique ſuperum, atque inferum mare Orontem obruat. nunquã tñ Canſtantinopolis: nunquam Alexandria: nunquam Antiochia deſinet eſſe Petri ex ſedib. vna. in his enim ſedibus, vniuerſum Petri regnum ponitur & explicatur. tanta quidẽ perpetuitate, atq; cõſtantia: vt faciliùs ſolem hũc è mundo eximas: quàm vnam aliquam ſedẽ harũ quatuor, ex regno Petri euellas. Poterãt Gotti, Longobardi, Vandali, domiciliũ ſummi imperij ex vrbe Roma exterminare funditùs: ſedẽ tamẽ Petri inde exterminare nõ poterant. Poterat Machometus Græcis, Soldanus

etiam

etiam Alexandrinis, atque Antiochenis eripere imperium: Petro tamen suam sedem inibi eripere non poterat. Ita soli Petro, in hac rerum omnium vniuersitate, imperium sine fine datum est, vt solus præter cæteros mortales reges Petrus, amittendi regni sui metus omnes, & inexorabile fatum, subiecerit pedibus: strepituq; Acherontis auari, continenter secum belligerandi. Ac meritò quidem: in hoc enim Petri regno sedem illã Dauid Deus collocauit, ex qua regnare vult Christum suum in omni æternitate. Quæ vtique sedes sacerdotium vestrum est: vnde tanquam ex specula, Christus sol ille verus: profert lucem gentibus, ac lumen vitæ porrigit, atq; tendit.

Hanc lucem qui ab hac sede non capiunt: aut huic sedi non seruiunt, cœci sunt: nec ciuitates suas, nec rationes vnquam retinebunt. fundamẽtum enim ciuitatum est lux illa vitæ

reli-

religio : quæ Dei pio cultu continetur: & quæ nuſquam alibi, quàm penes Petri ſedem integra, caſtaq; ſeruatur: quam qui ſoluit, iuſtitiæ quoque nullum locum relinquit : qua ſtant cœtus, hominumq; conuentus: quos diſturbari, atque diſsipari neceſſe eſt, Petri ſede violata. Teſtis eſt Græcia, quæ dum contra ſedem hanc appetit principatum : duram ſeruitutem tetrámque ſeruit. Teſtis eſt Bohemia, quæ Ioannem Huſium aduerſus hanc ſedem ſequuta ducem, quicquid ornamentorum veteris dignitatis habuit, amiſit: Teſtis eſt Anglia, quæ hæreticorum incitata furoribus, dum Petri ſedem è regno euellit ſuo: radicem quoque, ac ſtirpem regum ſuorum inde euulſit. Teſtis eſt Dania, quæ eodem motu, quo Petrum, reges quoque ſuos afflixit. Teſtis eſt illa potens armis, viríſque Germania: quæ M. Lutheri ſeditionibus agitata, quæ mala non vidit? quæ bella non ſen-

ſenſit? quæ ornamenta ex ſuis vrbibus, ſedibus, delubris non amiſit? dũ fuſo, fugatóque Petro, ipſum poſtremò Carolum Cæſarem petit armata. Teſtes verò iam ſunt omnes partes terrarum atque oræ vltimæ: à quibus violatæ fidei pœna, partim morte præſenti: partim ſeruitute, Romano Petro ſunt perſolutæ.

Atqui, hæc rerum publicarum detrimenta, iuſtè religionis detrimentum conſequuntur. Si enim pax illa vera, ſine qua nulli hominum durant cœtus, ſolis ſacerdotibus, cœna in ſuprema, illis verbis. Pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis, eſt attributa: qui diſſident à vobis, pace carent: quæ niſi à ſacerdotibus aliunde neque peti, neque ſumi poteſt. quæ tamen pax à vobis profecta non requieſcit, vt apud Lucam eſt: niſi ſuper pacis filios. qui ſi nulli ſunt, pax veſtra tamen non perit: ſed eodẽ veſtigio, quo venerat, ad vos reuertitur

tota, tanquam amplissima possessio quædam, vestræ pecuniæ. Et quoniã hanc salutarẽ pacem, Rex illæ pacis, vestram pacem appellat: ijdem qui vestri, pacis quoque huius hostes sint necesse est, vt nõ prius bellum vobis faciant, quàm pacẽ vestram contemnant: qua priuati, neq; cum alijs, neque ipsi inter se coniuncti sunt vlla fideli gratia. quos propterea agitant, & insectantur, tam exteriora, quàm interiora hæc vicia: inimicitię, simultas, odium, dissidium, seditio, bellum. è quibus existunt: primò rerum publicarum conuersiones, deinde Tyrannis: postremò seruitus, extremum & vltimum malum malorum omnium. Qui ergo saluam Rempub. suam esse volet: pacem à vobis petet, vos colet, vos venerabitur: ac vos Deorum immortalium habebit loco: vt eius pacis sit compos, quæ ex ordine vestro ab illo manat capite, cui soli salutaris illa, & cœlestis vox, Pasce,

intonuit: vt idem, qui ordinis veſtri, pacis quoque communis auctor, atque conſeruator eſſet: in cuius gremio mortales poſiti, viuant pacati: & vna fide, atque Deo teneantur omnes aſtricti. quem qui ſpernunt, ac negligunt, ſunt tanquam diſpulſæ oues: peſtiferis hæreticis, veluti lupis rapacibus, relictæ: à valentiſſimis Tyrannis, tanquam à beſtijs, lacerãdæ. Hæc datur merces erroris noſtri, Pontifices: hoc etiam præmium ſpretæ pacis veſtræ, paſtoríſque communis contempti hominibus tribuitur: vt bellum pro pace, Tyrannum pro rege, peſtem denique pro ſalute ferant. vt ita, cùm ordinatas à Deo poteſtates non ferimus: extraordinarias feramus: quas nobis per hæreticos obtrudit Sathan.

At ſi vitæ ipſius ſtatum proponamus nobis ante oculos: id vnum omnes hæreſes ſpectare, id velle, id cupere deprehendemus: vt ſublato legitimo

timo magiſtratu, Tyranni exiſtant: qui ordinatim agant nihil. hæc finis, hæc meta, atque calx, ad quam decurrant hæretici, eſt: vt nouas res, noua imperia, nouos dominos ſemper habeamus. Reſpicite tam illos veteres, quàm hos Tyrannos nouos: omnes ex hæreſibus ad hominum peſtem dicetis profluxiſſe. Quis Græcorum ante Arrium Machometi nomen audiuit? quis cuncta in Græcia, Turcæ cuiates eſſent, qua ex gente, vel ſecta profecti, ante Macedonium, Eutycheten, atque Neſtorium, vllo, vel literarum, vel ſermonum indicio percepit? nulla ex memoria veterum annalium hæc eruuntur monſtra: hæretici, hiſce Græcis, quos modò nominaui, hæc nos portenta referimus accepta. Perge nunc ab oriente ad occidentem, ac præteriens modò Bohemiam inſpice, cui quæſo tu illa Bohemica monſtra, ex imſimæ plebis nata fece, Ziſkas, Procopios, atq;

Corandas ſęuiſſimos, atq; immaniſſimos generis, ac ſanguinis proprij hoſtes, attribues, niſi Huſio, ac Pragenſi Hieronymo? cui Sertelos, ac Munzeros, fugitiuorum belli duces, in Germania adſcribes, niſi Luthero, Caroloſtadio, Philippo atque Zuinglio? qui cùm bellum impium Romano inferrent Petro, hanc latronum manũ effecerant: quæ opibus Romani imperij vix aliquando oppreſſa, pernicioſum exemplum ad imitandum reliquit principibus viris, ſupremæ poteſtatis contemnendæ. Si enim audebant talia fures, quid non facerent domini armis, opibúſque pręſtantes? qui vt bellum Cæſari facerẽt, religione, cauſas belli prætexebant: atque hoc nomine Cæſarem ex Germania exterminabant. Sed idem tamen in Anglia, M. Bucerus, Petrus Martyr, Petrus Viretus: idem in Heluetijs, Zuinglius, Bulingerus, Caluinus, pręclarum ediderunt impietatis ſuæ munus.

nus.his enim auctoribus, atque administris, dici hoc sine lachrymis nō potest: hæ fortunatæ quondam gentes, crudelissimos atq; immanissimos Tyrannos pertulerunt.

Harum gentium casus, atque exitus, si reformidas ô Polonia: earum etiam exempla exhorresce: & hos homines impios, qui te in eadem saxa latentia torquent, abs te reijce: quos nimium amplecteris, & quos in sinu tuo, proh dolor, gestare non vereris: ignara, quæ, & quanta illi tibi afflent venena: quibus sensim ac leniter intereas: vt horum artificijs agitata, turbatáque, aut ciui tuo: aut externo hosti seruias: & eius spretæ pacis pœnas persoluas, quam Christus in sacerdotum ordine habitare: & te de illorum manibus voluit expectare. Neque verò te sub his mortalibus subiectā esse pudeat: ad quod te adhortantur pestiferi, ac funesti doctores isti: quos vt quamprimū pestem participares pa-

rem, ex Heluetia nuper tibi acciui-sti. Num tu virgine matre castior? nũ angelis celsior? num Martyribus bea-tis sanctior, aut melior es? quos tamẽ ordo iste iudicabit vniuersos. Isti in-quam, quos coràm adesse vides: & qui in oculis, ac manibus tuis habi-tant, hanc vniuersitatem omnem iu-dicabunt. Horum ergo tu, non infir-mitatem, sed potestatem considera: neque qui sint, sed quantum possint cogita. in horum enim manibus sita est æquè vita, vt mors tua. Nam hi so-li, vt ligant, ita te soluunt. non ista po testate ementita, qua Lutherus, qua Zuinglius, qua Caluinus inflatus fu-it, & crepuit: sed illa vera, atque legi-tima, illis verbis, huic ordini soli at-tributa. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remit-tuntur eis: & quorum retinueritis, re tenta sunt. Ad eos igitur conuerte te quæso: ex eorum enim institutis, quasi ex Mirothecijs quibusdam,

cùm

cùm omnis doctrina ſalutaris, omnis diſciplina, omnis honeſta vita ſumi poteſt: tum ſalubritas tanta ſacramentorum, vt cum illa extra hunc ordinem poſſis ſumere: tamen prodeſſe tibi non poſſint, niſi in huius ordinis fide permaneas. Nam qui in horum auctoritate acquieſcũt, ſoli ſunt, quos diligit Deus: & quibus ſpiritum ſanctum ſuum largitur. Ad hos ergo tam ſalutares vitæ magiſtros accede: ab his autem peſtiferis recede: qui te ad eundem vitæ adigunt ſcopulum, ad quem Græciæ, ac Bohemiæ olim, nuper verò Germaniæ atque Angliç, afflictam nauem vides: vt tu quoque vera, atque ſalutari repudiata fide, hanc illorum falſam, atque noxiam recipias: quæ tibi magiſtratus, leges, mores, è veſtigio eripiat, vt omnia ſimul amittas: quibus præſens ſalus, atque rerum tuarum ſtatus continetur.

Quò ruis ô Diuum domus, & in-

clyta bello Polonia, quò inquam moritura ruis? aut ad quæ te reſeruas: dum iſtas cyſternas exiccatas, atque aridas ſequeris: & ex his opacis, atq; atris grandine nubibus ſalutares imbres expectas? Si ſitis, nihil hîc niſi triſte vipereum fel bibes, quo exanimere: Si eſuris, nihil hîc niſi inanes ſiliquas edes, quibus ſuffocere. vt ita tu victrix illa VValachiæ, domitrix Scythiæ, mors atque terror Moſcouiæ, peſtíſque Turciæ, veri fame, atq; ſiti exanimata, in ipſis regni tui penetralibus funditùs concidas. vt quæ olim bellicoſiſſimis nationibus ſeruitutis iugum imponebas, nunc oblita tui, te ijſce fugitiuis ex Italia, Germania, atque Heluetia ſubdas nebulonibus: vt eos dominos habeas, quos, ne ſeruos quidem, illorum habere voluerunt ciuitates. Nihil ne te maiorum veteris gloriæ pudet? nihil rerum abs te geſtarum pœnitet, neq; piget? quoties Obertinos, Chocimos,

mos, Starodubos, Boristeneásque omnes, atque Meothidas paludes cogitas? vt inter tot egregia belli, tantaq; imperij tui decora, volens ac lubens, in laqueos istos sacramẽtarios te induas, ac collum vltro inseras: vt captiua ducaris, ac serua sequaris, pestiferos istos, atque infelices superintendentes tuos, haud scio, quo Acheron te auaro ad tuam pestem excitatos: qui mentem tuam ceperunt, ac te infatuârunt mercede publica. quorum tibi tanta penuria fuit: vt Lismaninus etiam Apostata, ac Stancarus Mantua fugitiuus, essent tibi accersendi. quorum alter te Arrianam sectam, alter verò Nestorianam doceret. Nam hæc crimina, illæ geminæ voragines, scopulíque Reipub. nostrę inuicem nunc obiectant sibi. Hos tu igitur vltro accerses, atque ad te attrahes vltro: vt Maiestatem huius Regni minuant? vt Rempub. extra ordinem gerant? vt Canones reforma-

torios nobis, si dijs placet, conscribant? quorum Canonum apud Franciscum Stancarum illa summa est, vt in Polonia duos gladios habeamus: quorum alterum Rex, alterum verò plebs pari cum potestate habeat. O tempora, ô mores, hunc furciferum ausum esse hæc verborum portenta in Poloniam edere, viuo Rege, atque Senatu?

Sed quis istos misit? quis autem, vt ad nos doctum irent, iussit? qui non sunt missi, tanquam Aaron: sed quod fures decet, honorem hunc vltro sum pserunt sibi. quò per fallacias nos abducant, à veris pastoribus, atq; curato ribus: quos liberator, atque seruator noster Christus, ad nos misit legitima sedis Apostolicæ manu: Cui sedi soli, clauis tradita est scientiæ: qua liber aperitur ille clausus, qui doctis ve rò, quòd literis carent, obscurus est. Quem sanè librum, quoniam in eo salus sita est: vt, & literati legant: & illite-

illiterati audiant, clauiger, non solùm aperiat, sed etiam perlegat, ille necesse est: cui soli est dictum : Tibi dabo claues. Et ne fortè longo interuallo, hunc clauigerum cum clauibus abesse arbitremur: En præsto adest: en claues nobis ostentat per hunc Legatum suum, summa dignitate, & potestate virum. quas etiam hîc domi penes nos esse vult: in manibus huius Ioannis Prærembij , religionibus sacerdotij venerandi Archiepiscopi, atque omnibus laudibus cumulatissimi viri: cui adiungitur hæc luminaria regni, Hi inquam sanctissimi Episcopi, atque sacerdotes cæteri publici: per quos nobis clauiger ille summus & librum hunc, & eius libri claues porrigit, ac tendit. Horum ergo de manibus apertum librum hunc accipiamus : hos interpretes eius libri audiamus : vt his monitoribus , ad veros , atque salutares pastores accedamus : à falsis autem,

& no-

& noxijs recedamus. qui dum verbis Chriſtum ſimulant, Machometum re vera viuunt, Machometo in Polonia ſeruiunt, Machometo lenocinantur, Machometum denique ſub nomine Chriſti prædicant, ac noſtris auribus inculcant. Quid enim, quæſo, nunc docet in Germania Bulingerus? quid Brentius? quid Caluinus? quid in Polonia Lyſmaninus, Stancarus, & infeliciſſimus ille Felix Scebreſino fugitiuus: niſi Machometũ, ac ſuperſtitionem Turcarum, ſi rem, non ad verba, ſed ad veritatem attingas: omnes iſti præcurſores ſunt Machometi, atque Turcarum laternarij. Turcas, Turcas inquam in gremio fouemus Pontifices, & in ſinu geſtamus noſtro; quos niſi quamprimum excutimus, & abijcimus, aliorum populorum exitus petimeſcamus: qui fidem, & ſedem Petri olim violârunt. Quare, euigilate Patres, verè digito Dei conſcripti, ob noſtram ſalutem: & has

& has nouas hæreſes cum veteribus comparando, prouidete: ne vobis oſcitantibus, dormitãtibúſque (ô dij immortales auertite, & deteſtamini, quæſo, hoc omen) huius regni, aut commutetur, aut euertatur ſtatus.

Et quoniam Diuina ſors quædã, in hac tãta tempeſtate, huc te ad nos Legatũ miſit, Berarde, Antiſtes optime, atque ampliſſime: erige te quęſo, & iam nunc partes exerce tuas: legationémque tuam, eò quamprimum confer: quò te præſens rerum noſtrarum vocat ſtatus. Itaque illud aggredere ocyus, vt in hoc clariſſimo, imperioſoq; regno: pro eo ac iuſſus es: iacentia erigas, afflicta recrees, dubia confirmes, deſperata ſanes, ac domũ Dei, quæ in hoc inuicto populo, hæreticorum artificijs labefactata, iam inclinat: tanquã ſapiens Architectus, redigas ad Canonem Eccleſiæ veterem: quo cùm recto, & vero huc te ad nos miſit, dux ille Dominici gregis,

paſtor

paſtor ouium Chriſti: ac communis omnium gentium pater, Pius quartus Papa Romanus, certiſſimus in terris Ieſu Chriſti Vicarius. cuius illa ſumma ſollicitudo nunc eſt: vt nos Poloui, atque Sarmatæ: omnes cæteri, per te redigamur in obſequium Chriſti. Et quoniam partes ſuas te agere paſtor ille ſummus in Polonia voluit: tuta mente incumbe in hanc curam: vt compoſita huius regni pace, vulnera quoque per iſtos latrones nobis impoſita, ſanes: ac nos coniunctos fideliſſima gratia, in fide huius Romani Petri, cuius Legatus es, retineas. Nec verò de ſpe perficiendi: ſi quid pro ſalute huius regni cœperis, dubitare debes. Eſt nobis SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex iuſtiſſimus, & clemẽtiſſimus, fortis, magnanimus, grauis, ac ſeuerus, cuſtos legũ, propugnator religionum, ac vindex facinorum, atq; ſcelerum. Qui non alienum Maieſtate ſua arbitrabitur: id

pro

pro salute populorũ suorum exequi: quæ tu in hoc cœtu, cum his clarissimis regni huius luminibus, Canonũ præscripto censueris.

Tametsi autem tua legatio summam huius regni complectitur: tamẽ ne partes eius quoque quæ maximoperè laborant, tibi sunt negligendæ. Quòd si quis est: qui in hoc regno fidem legationis tuæ, atque horum auctoritatis imploret: is ego sum: q nullo iudicio, ob vllam hæresim conuictus, neque vnquam conuincendus, excommunicor, confiscor, proscribor, sententia inimicissimi, atque infestissimi Episcopi. qui dum animo morigeratur suo, omnium pœnarum acerbitates, ad me euertendum, amplectitur: nec mecum agit, vt cum homine imprudentia lapso: sed vt cũ importunissimo sacrorũ omnium hoste. Quo etiam nomine, ille me pro hæretico condemnauit: cùm in omni mea vita, nullum, ne tenuissimũ quidẽ cri-

men,

men, illa pœna dignum inueniret. En processus illius viri contra me: En mea appellatio: en mea confessio. nihil spero in his omnibus reperietis, tanta pœna dignum: quam tamē mihi iudicem illum irrogare non puduit, contra leges omnes, atque Canones veteres: qui sacerdotem maritū, sola abrogatione sacerdotij puniunt: idq́; ad pœnam satis esse arbitrātur: ne is ei altari seruiat, cuius honorem cum matrimonio partitur. Quòd si quæ synodi sunt, quæ præter abrogationem sacerdotij grauiores edunt pœnas: eæ aut œcumenicæ nō sunt: sed sunt prouinciales quædam: quæ extra prouinciam suam prolatæ, nusquam valent. aut si à concilijs œcumenicis nō dissentiunt: de ijs vtique sacerdotibus sententiam ferunt: qui sacerdotium cum matrimonio coniunxerunt. eo enim præpostero, ac peruerso modo, si quis vtroq; fungatur, delinquit in Canonem, qui id fieri vetat.

ri vetat. Sed tamen ab hoc peccato, factum distat meum. Nam priùs quàm vxorem duxissem, sacerdotium deposui: nec de pœna quicquam recusaui, quam mihi tum Ecclesiæ Canon, tum imperialis lex irrogabat: quæ iubet sacerdotem, cui connubij ius non esset, post nuptias pristino ciuilis vitæ ordini, cum rebus suis omnibus restitui. vnde liquet mihi in hoc crimine, cum hæreticis nihil esse commune: quorum proprium est, sic peccare, vt peccati pœnam recusent. At ego cùm factum confitear, neque eius facti pœnam recusem, quam Canon, & lex præscribit: Peto à vobis, vt ex hisce reintrusionis molestijs me aliquando liberetis: in quas, complures annos solutus, ac liber cùm essem, de integro sum coniectus: nulla præstituta mihi ad reintrudendum die.

Satis diu iactatus sum Pontifices, satis etiam diu in miserijs fui: liceat respirare aliquando: liceat cum vxo-

re,ac liberis,id,quod reliquum eſt vitæ,in Eccleſia Romana tranquillè, ac placidè traducere:atque inibi more maiorum Deum colere. Nolite pati me hinc triſtem cum repulſa, ad meos domum reuerti.Etenim, ſi me contra diuinas, atque humanas leges reintruſionibus ijſce vexare volueris, q̃d me fiet?aut quid Græcis, quíue Roxolanis meis reſpondebo:de quorum gente maternum genus duco? apud quos ſacerdos maritus non alia pœna,vt iam eſt demonſtratũ: quàm ſacerdotij abrogatione punitur. Exhorreſcent illi has nouas pœnas, & horrore perfuſi admirabuntur,vndénam Latinis hæc lex obrepſerit, vt præter aliarum Eccleſiarum morem, grauiore multa ſacerdotẽ maritum: quàm fornicatorem puniat. vt id verum eſſe videatur,quod nonnulli dictitant: & quod in ore hominum eſt, Papam habere ſuas leges, canonibus œcumenicis aduerſas. hanc ſuſpicio-

nem

nem in hac mea cauſa vos decet effugere, qui Antiſtites Eccleſiæ Catholicæ vos vultis perhiberi.

Deinde, ſi me ob vxorem ductam ex Eccleſia Latina eieceritis, ad quam tandem Eccleſiam mihi accedendũ putetis: iam ego vos conſulo. Neque enim me nullius Eccleſiæ hominem, neque exlegem, pręter cæteros mortales, decet viuere. Ego Eccleſiam nouam nullam mihi fingam. omnes enim iſtas nouitias Synagogas, tanquam malignantium conuẽtus, peræquè deteſtor. Reſtat igitur, vt ex Eccleſia Latina per ſummam iniuriam pulſus, ad ſedem Conſtantinopolitanam, materni generis inſtituto, reuertar: cui ſedi Chalcedoneñ Concilij decreto, Ruſſiam ſub barbariæ nomine video eſſe attributam. quæ Conſtantinopolitana, inquam, ſedes ampliſſima, ſanctiſſimáque inter cæteras Patriarchales ſedes quatuor: in Eccleſia Catholica ſemper eſt habita.

Quòd ſi vos probatis, & ſi id vobis eſt cordi, res tranſacta eſt: fiet quod probatis. Sed tamen hoc in loco prouidete: ne hoc meo facto, exemplóque nouo, ritus in Ruſſia lædatur, & contemnatur Latinus. quod ne fieret, Florentinum Concilium cauet: mandátque, vt ritum quiſque in quo natus eſt, tueatur ſuum. Quare, moneo, prædico, antè denũcio, vt, ſi qui ſunt, qui me hinc extorrem volunt eſſe: iam nunc prouideant animo: quo intendant, & quid mihi præſcribant. Nolo hoc in loco multus eſſe: malo enim vos cum animis veſtris hæc cogitare, quæ ſilentio prætereo: quàm me in oratione mea ponere. Quòd ſi quis contendat, vt vxore dimiſſa in Eccleſia Latina viuam: ô bone vir, actum eſt, aiunt, ne agas. hoc enim peccatum eſſet, in virginem ciuẽ. Deinde fac id velle me, num in tanto ſororis ſuæ diſcrimine, Chelmij, atq; Zarembij, duæ in Polonia gentes, ſtupidi obtu-

di obtumeſcent: & à me pœnas ob tantum ſcelus, cum ſanguine non repoſcent: ſi quid in data fide à me fractum, aut fuerit violatum? Quò minùs ergo id ego faciam, fides obſtat data: tum vxoris caſtitas: atque liberorū ſuſceptorū charitas. deniq; præſens mors nō ſinit, nō modò vt hoc ego velim, ſed vt hoc cogitē quidem.

Reſtat ergo Pontifices, vt ad illud Moſaicum thus, atque oleum, de quo ſuprà vos admonui: hoc eſt, ad miſericordiam, atq; beneficentiam veſtram reuertamur. quæ duæ primariæ in Ecclesia Chriſti, excellentiſſimæq; virtutes, ita penes Pium iiij. Romanum Petrum, ad noſtram ſalutem ſunt nūc ſitæ: vt illud thus, atque oleum ad expianda peccata apud Moſen fuerat olim ſitum. quinimo, tantò hic noſter, veluti alter Moſes, illum veterem Moſen ſuperat: quantò is poſſidet vniuerſum cæli, terrarum, atque inferorum imperium: ac tantò etiam hic noſter

vincit,quanto Christus, ipso Mose: atque Ecclesia Christi,Mosis synagoga maior est. Quapropter si Moses ille vetus,rebus omnibus minor cùm esset: Thus tamen, atque oleum suum non negabat humano casu afflictis,quantò magis hic noster nouus Moses sanctissimus, atque omnium præstātissimus, misericordiam atque beneficentiam in hoc errato meo poterit exercere? Cuius supremæ potestati,nunc ego me, ac vitam meam, preterea,facta,dicta,ac scripta,postremò hanc præsentem Orationem meam: subdo atq; subijcio. vt huius excellentissimi,atque summi in Ecclesia Christi iudicis: omnia stent,cadántque nostra.

Qui vobis exorandus est,vt me oiuculam suam,in suum complexũ properantem,benignus aspiciat: ac me ad se ouem recipiat redeuntem. non illam cerè? quidem,quæ volens,ac lubens,pastoris contemptu, aberrauerat:

rat: ſed quæ errore iuuenili imprudens, alienos per deuia ſecuta, paſtoris ſui vocem obaudiuerat: qui in ſpacio, atq; curriculo beatæ vitę, illi progredi, non autem regredi cenſebat. Hunc ergo paſtorem ſummum, atq; diuinū, vt mihi concilietis, veſtrę partes, veſtrum opus eſt, Pontifices: hic actus reſtat in me vobis abſoluēdus: vt ijdem apud Pium iiij. verum animarum noſtrarum paſtorem, mihi feratis opē: qui ſpem tum dediſtis: cùm ſententia huius Legati, optimi, atque iuſtiſſimi viri, me hæreſeos olim condēnatū, cauſa cognita liberū eſſe iuſſiſtis. Erit igitur humanitatis veſtræ, in id operam dare: vt quemadmodū vos ipſius hæreſeos crimē, ex auctoritate in me Synodo in pſenti aboleuiſtis: ita paſtor quoq; ille ſummus, id, quod de excōmunicatione adhuc reſtat, ꝓ poteſtate ſua funditꝰ extĩguat, atq; deleat: ac me, cūliberis meis viuere, atq; vxorē, vti poſſideo, ita poſſidere iubeat: vti

vti è re mea,fideq́; ſua cenſuerit.vt ita Thure imbutus,atq; oleo lætitiæ à vobis perunctus, lætus hinc domum ad meos reuertar:vobis, ac veſtræ Latinæ Eccleſiæ ſeruiturus potius: quàm nouos ritus, nouosq́; paſtores in Eccleſia Catholica quæſiturus.

Quamobrem,peto à vobis Pontifices, vt mihi, ac rebus meis apud Sedem Apoſtolicam conſultum eſſe velitis: cauſamq́; hanc meam vxoriam, in præſenti Synodo conſtabiliatis: vt quod ab illo iudice turbatum, atque afflictum olim in me fuit:id nunc miſericordia, atque beneficentia veſtra reparetur.vt me hominem vobis coniunctiſſimum: veſtrarum rerum, veſtrarum partium:his aliquando calamitatibus liberetis, vt omnes intelligant, apud Epiſcopum illum mortuum, inuidię fuiſſe locum:apud vos veritati.

HABITA, ATQVE ACTA fuit hæc Oratio, in audientia publica, VVarſzauiæ in Prouinciali Regni Poloniæ Synodo: xiij. die Menſis Martij. Anno Chriſti Dei noſtri.

1 5 6 1.

CONCLVSIONES CONTRA CVIVSQVE GENERIS SACRAMENTARIOS, PASSIM ac uulgò à Stanislao Orich. Rox. propositæ, ad conuincendam partis aduersæ impietatem sacrilegam: & ipsis Regibus, atque Regnis omnibus funestam.

Ordo ſacerdotalis eſt ordo Hierarchicus, à ſolo Chriſto ad miniſterium Eccleſiaſticum inſtitutus.

Ordo prædictus charactere inſignis, ſolus habet poteſtatem ligandi atq; ſoluendi.

Hic ordo ſolus iudicat in iudicio lepræ atq; ſanguinis vniuerſum laicalem ſtatum, nullo autem modo ab illo iudicatur, quia primam ſedem nemo iudicat.

Iſte ordo in Concilio legitimè cõgregato, nõ errat, neq; errare poteſt.

Hic ordo hoſtiam offert ſuo miniſterio pro peccatis noſtris, id eſt, ve-

rum

rum corpus & verum ſanguinem, nô in ſigno tantùm, ſed etiam in ſignato.

In hoc ordine Romanus Petrus, id autem eſt Pius iiij. Vicarius eſt Chriſti, ſucceſſor Simonis Petri, Paſtor paſtorum, ac ſolus regni cœlorum Clauiger, primatum in Eccleſia tenens, plenitudinem poteſtatis habens, cui obedire, eſt de neceſſitate ſalutis.

Quicunq; ab his Concluſionibus diſſentit, neque eis ſubſcribit, quinimo eas impugnat, eſt notorius & ter maledictus hæreticus, & ab omnibus Chriſti fidelibus ueluti Anathema Maranatum uitandus.

Ego Stanislaus Orichouius Roxolanus ita aſſero, vti ſuprà ſcriptũ eſt.
Manu propria ſcãt.

IN STEMMA GENEROSI DOMINI STANISLAI ORZECHOVVSKI, EQVITIS POLONI:

Albertus Vedrogouius.

PRospice, quid ualeat, facundi stricta securis
Hæc Orzecchouij: stemmata sæua uide.
Hac, nisi decipior, scit sternere dicta malorum:
Omne ferit falsum, uanaq; scripta secat.
Est aliud maius, fateor, ualdeq; timendum
Ingenium solers, copia, lingua, stylus.
Non desunt illi Argolici (crede) ora Periclis:
Nec Demosthenis oris, nec Ciceronis iter.

IN EANDEM SECVRIM.

PAcificas olim, tremuit Catilina, secures:
Hanc Euangelici, prætimeantq; simul.
Stancarus, & Krouuicki, cuncti falsa docentes,
Peruersi, timeant: dura securis adest.

ARNOLD BIRCKMAN

17